ANCTI AUGUSTINI

DOCTRINAM

DE

PULCHRO INGENUISQUE ARTIBUS

E

VARIIS ILLIUS OPERIBUS EXCERPTAM

FACULTATI LITTERARUM VESONTINAE

IN PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONEBAT

A. BERTHAUD
PHILOSOPHIAE PROFESSOR

PICTAVII
APUD P. OUDIN, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA DE L'ÉPERON, 4

—

1891

*

SANCTI AUGUSTINI

DOCTRINAM

DE

PULCHRO INGENUISQUE ARTIBUS

E

VARIIS ILLIUS OPERIBUS EXCERPTAM

FACULTATI LITTERARUM VESONTINAE

IN PUBLICAM DISCEPTATIONEM PROPONEBAT

A. BERTHAUD

PHILOSOPHIAE PROFESSOR

PICTAVII

APUD P. OUDIN, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DE L'ÉPERON, 4

—

1891

PICTAVII, TYPIS MANDAVIT P. OUDIN.

ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO

HENRICO PASQUIER

IN FACULTATE LIBERA LITTERARUM ANDEGAVENSI

DECANO

GRATI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

Amantissimus Auctor

AUG. BERTHAUD.

DE PULCHRO

INGENUISQUE ARTIBUS

IUXTA DOCTRINAM E VARIIS SANCTI AUGUSTINI OPERIBUS EXCERPTAM

PROŒMIUM.

Pervagatae est notitiae sanctum Augustinum qui saeculo quinto post Christum natum florebat, cum inter doctores Ecclesiae, tum inter philosophos aequales fuisse celeberrimum. Multa sunt illius opera quorum alia et quidem plurima ad nos usque pervenerunt, alia vero sunt amissa.

Horum in numero maxime commemorandum est quoddam opus « De Pulchro et Apto » *inscriptum : quod exstitisse pro certo habendum est. Etenim ipse Augustinus, quonam impulsu ductus illum librum conscripserit, nos edocet in opere cui inscribitur titulus* « Confessiones » : « *Et amabam,* « *inquit, pulchra inferiora, et ibam in profundum,* « *et dicebam amicis meis : num amamus aliquid,*

« *nisi pulchrum ? Quid est ergo pulchrum ? et*
« *quid est pulchritudo ? Quid est quod nos allicit*
« *et conciliat rebus quas amamus ? Nisi enim*
« *esset in eis decus et species, nullo modo nos*
« *ad se moverent. Et animadvertebam et videbam*
« *in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et*
« *ideo pulchrum ; aliud autem quod ideo dece-*
« *ret, quoniam apte accommodaretur alicui, sicut*
« *pars corporis ad universum suum, aut calcea-*
« *mentum ad pedem, et similia. Et ista conside-*
« *ratio scaturivit in animo meo ex intimo corde*
« *meo, et scripsi libros* « De Pulchro et Apto » ;
« *puto duos aut tres. Tu scis, Deus : nam excidit*
« *mihi* » (1).

Praeterea quotum annum tunc ageret Augustinus his verbis indicat : « *Et eram aetate annorum*
« *fortasse viginti sex aut septem, cum illa volu-*
« *mina scripsi* » (2).

Ex quo efficitur ut laudati libri fuerint conscripti ab Augustino nondum ad Christum converso ; is enim religionem christianam anno suae aetatis tricesimo tertio professus est.

Quod fit manifestum his verbis : « *Tantae rei* pul-
« chritudinis *cardinem in arte tua nondum videbam,*
« *Omnipotens, qui facis mirabilia solus : et ibat*
« *animus meus per formas corporeas ; et* pulchrum
« *quod per se ipsum,* aptum *autem, quod ad aliquid*
« *accommodatum deceret, definiebam et distingue-*
« *bam, et exemplis corporeis astruebam* » (3).

(1) Ex Confess., lib. IV, c. XIII, t. I, col. 701. Opera S. Augustini, Patrol. edit. Migne, Paris, 1845.

(2) Ibidem. Confess., lib. IV, c. XV, t. I, col. 704.

(3) Ibidem, col. 703.

Quin ad quemnam illi missi fuerint libri, Augustinus ita nos docet : « Quid est autem quod me « movit, Domine Deus meus, ut ad Hierium (1) *« Romanae Urbis oratorem scriberem illos libros, « quem non noveram facie, sed amaveram hominem « ex doctrinae fama quae illi clara erat, et quaedam « verba eius audieram, et placuerant mihi? Sed « magis quia placebat aliis, et efferebant eum laudi- « bus, stupentes quod ex homine Syro, docto prius « graecae facundiae, postea in latina etiam dictor « mirabilis exstitisset, et esset scientissimus rerum « ad studium sapientiae pertinentium, mihi place- « bat »* (2).

Porro illos eosdem libros fuisse amissos Augustinus his verbis fatetur : « Non habemus eos, sed « aberraverunt a nobis, nescio quomodo » (3).

Eos ita excidisse certe dolendum est ; sed forte fortuna sparsam in variis Augustini operibus de pulchro *doctrinam passim reperire licet.*

Quidam veteres philosophi, Plato et Aristoteles, dein saeculo post Christum natum tertio Plotinus,

(1) Sic scribitur in editione Lovaniensi (1614) ; in quibusdam edit. scribitur : « Icherium ». — Quis fuerit ille Hierius vel Icherius, parum convenit inter scriptores. Alii (L. Tillemont..... Moreri) suspicantur fuisse illum Icarium, filium Theodosi qui erat a libellis imperatoris Valentis, primo eloquentiæ professorem Romæ anno 380, dein comitem Orientis anno 385, natione Syrum, Graecae linguae gnarum. — Alii vero (in primis Mommsen) eam sententiam ut parum probabilem reiciunt, aiunt enim haec nomina: *Hierium* et *Icarium* esse multum dissimilia, cum praesertim orthographia (Hierius) apud Augustinum sit certa ; praeterea fieri non potuisse ut eloquentiae professor statim factus fuerit Orientis comes.

(2) Ex Confess., lib. IV, c. XIV, t. I, col. 702.

(3) Ibidem, c. XIII, col. 701.

de pulchro *scripserunt. Quorum doctrinam Augustinus quidem non ignorabat; immo ipse, ex platonica de* pulchro *philosophia tanquam ex uberrimo fonte, multa, ut infra videbimus, praecepta hausit.*

Ille tamen veterum philosophorum de pulchro *doctrinam perfecit absolvitque, quippe qui eorundem sententias disponens modo compleverit, modo emendaverit; quare nobis laudem non parvam videtur assecutus.*

Igitur illam Augustini doctrinam, variis in operibus sparsam, colligendi et quasi in unum cogendi nunc propositum habemus. Ita libros, quorum desiderio afficimur, videlicet illos libros de pulchro *quodam modo renovabimus.*

Diximus : « Quodam modo ». Haec enim Augustini doctrina, quam sumus exposituri, ut quae ex operibus, saltem numero plerisque, post conversionem ad Christum compositis colligatur, quasdam sane notiones continet christiana religione instinctas ; quae certe non erant in libris « De Pulchro et Apto », *qui ante conversionem scripti fuerunt.*

Nostrum vero opus propositum non parvi momenti esse nobis visum est. Etenim, praeter quam quod Platonem secutus Augustinus Graecorum de perfecto pulchritudinis exemplari doctrinam cum christiana ratione coniunxit, post eum non fuit, saltem usque ad saeculum decimum octavum, alter qui de pulchro *tam bene scripserit.*

Illam Augustini doctrinam, quo melius amplectamur, non alienum ab opere destinato videbitur, si prius vestigia retro retulerimus, et, quid Plato et Aristoteles, quid Plotinus, de pulchro et ingenuis

artibus *senserint, adumbraverimus. Quin etiam id necessarium est, si Augustinianam de* pulchro *doctrinam plane intellegere velis.*

Tum quid Augustinus ipse de eodem proposito scripserit, diligenter inquiremus.

Deinde eiusdem doctrinam diiudicabimus.

CAPUT I.

DE PULCHRO ANTE AUGUSTINUM.

Quid senserint de Pulchro et Ingenuis Artibus, Plato, Aristoteles et Plotinus?

ARTICULUS I.

DE PULCHRO ET INGENUIS ARTIBUS PLATONIS DOCTRINA.

Inprimis animadvertendum est nullam in libris Platonis *De Pulchro* doctrinam bene ordinatam omnibusque numeris absolutam existere, qualem apud unum vel alterum aetatis huiusce philosophum invenire licet.

Plato enim divino incitatus ingenio, idem arte mirabili exquisitaque, cum de rebus divinis et humanis, tum de *pulchro* perennem sane fontem aperuit ex quo posteri abunde praecepta haurirent. Ille tamen, ut in ceteris, sic in hoc argumento rationem, qua corpus quoddam conficeretur, non instituit. Immo non semper eiusdem doctrina videtur sibi constare (1) ; nec mirum, si, praesertim cum sint tam multi dialogi Platoni

(1) De Plotinianis libris περὶ τοῦ καλοῦ. —Grucker, Paris, 1866.

adscripti, nonnulli ex eis, ut plerique existimant, ab illo non sunt scripti.

Plato in illa de *pulchro* doctrina, quemadmodum in omnibus philosophiae partibus, utitur dialectica qua ipse primo res singulas intuetur quae sub sensus cadunt; deinde assurgit ad rerum species aeternas, immutabiles, materiaeque expertes, quas vocat « ἰδέας ». Ita primum res pulchras inspicit ut dein *pulchrum* ipsum contempletur.

Iam nunc quae Plato scripserit de *pulchro ingenuisque artibus* breviter exponamus.

Ille in dialogo cui titulus est « Ἱππίας περὶ τοῦ καλοῦ » falsas de pulchro refellit opiniones. Ita docet ipse non idem esse *pulchrum* atque *aptum* (1); nec confundendum esse cum *utili* (2); neque cum *iucundo* (3).

Plato quidem iucundam esse oculis vel auribus *pulchritudinem* non negat; is tamen a *iucundo pulchrum* discernit. — Quid vero, inquit, o Hippia ?sane dicimus pulchra esse instituta et leges. Ea tamen neque oculis neque auribus aliquam praebent iucunditatem (4).

— Ita sane, inquit Socrates; aliter, etiam pulchram esse dicendum esset suavitatem quam nobis afferunt sensus ceteri, ut gustatus aut odoratus; quod est deridendum. Quisnam revera

(1) Hippias maior ou « du Beau », traduct. franç. V. Cousin. Œuvres de Platon, t. IV, p. 138. Edit. Paris, 1856.

(2) Ibidem, p. 147 et 148.

(3) Ibidem, p. 151.

(4) Ibidem.

pulchros odores, saporesve dicere audeat ? Solis enim coloribus aut sonis pulchritudo convenit (1).

Platonis igitur iudicio, non sunt praeter visum et auditum sensus qui pulchritudinem percipiant.

Nunc, quod ad *pulchri* naturam attinet, primo notandum est, non esse apud Platonem apertam *pulchri* definitionem. Sed in variis illius dialogis disiectae exstant quae ad pulchritudinem pertinent notae. Sic Plato dicit : *unum* esse universum creatum, ut hoc *pulchrum* appareat (2). Ex quo sequitur *unitate* pulchritudinem constare.

Item ad *pulchrum* redit *harmonia* : sine harmonia nulla est pulchritudo (3).

Alio loco affirmat *mensura* et *proportione* pulchritudinem constitui : in omnibus mensura et proportio pulchritudinem generant (4).

Alias *bono pulchrum* permiscet : Quidquid bonum est pulchrum est (5). Quod mendosum esse memo est qui non videat.

Ille vero singulis in rebus pulchris, quae sub sensus cadunt citoque pereunt, non diu consistit. Mavult enim Plato sese extollere ad *Pulchrum* ipsum, quod non mutabile, sed idem est semper et unum, « αὐτὸ τὸ καλόν », quod nec voluptati, nec utilitati nostrae subicitur, quod non sensibus, sed sola mentis acie percipitur (6).

Pulchrum summum atque perfectum, Deus

(1) Ibidem, p. 152.
(2) Timée, t. XII, p. 120.
(3) Ibidem, p. 234.
(4) Philèbe, t. II, p. 461.
(5) Timée, t. XII, p. 234.
(6) Le Banquet, t. VI, p. 113, 131, 132.

videlicet, vim habet fecundam (1) ; et intellegentiam « νοῦν » (2) ; vitamque et animam possidet (3).

Pulchrum est *unum*, absolutum, simul et *varium* varietate perfectionum (4).

Igitur ex Platone *Pulchrum* absolutum vis est fecunda, animaque praedita intellegentiâ ; mensura est et proportio, atque harmonia, unitas simul et varietas.

Quae *summae* Pulchritudinis notae in singulis pulchris rebus plus minusve apparent.

Platonicam vero de *pulchro* doctrinam non perfecte cognitam habeamus, si, quamnam vim nostras in facultates, in intellegentiam, sensum, atque voluntatem, iuxta Platonis sententiam, pulchritudo exerceat, nunc breviter non dicamus.

Porro ea est vis pulchritudinis in mentem humanam, ut intellegentia sic *pulchro* excitata supra res terrestres extollatur usque ad « ἰδέας » aeternas, Pulchrumque *supremum* (5).

Eadem pulchritudo cordi nostro cum amore voluptatem affert. Ille quidem amor non is est qui contemplatione fruatur otiosa, vanaque pascatur voluptate, sed qui animos magno pulchra imitandi studio incendat, voluntatemque impellat in Bonum supremum, ad *Pulchrum ipsum*, aeternum, et immutabile, id est, Deum (6).

(1) Philèbe, t. II, p. 346, 347.
(2) Ibidem, t. II, p. 347, 349.
(3) Le Sophiste, t. XI, p. 261.
(4) Ibidem.
(5) Le Banquet, t. VI, p. 316-318.
(6) Phèdre, t. VI, p. 58.

Ut autem platonicam de *pulchro* sententiam breviter complectaris, mirabilem hanc Symposii doctrinam attento animo perpende : O Pulchritudo aeterna, inquit Diotima, pulchrum non generatum, et immortale, pulchrum immutabile, neque deminutionem, neque incrementum recipiens, neque pulchrum in aliqua parte, et turpe in alia, neque solummodo pulchrum hoc aut illo tempore, hoc aut illo loco ; neque pulchrum aliis, et aliis deforme ; pulchrum sine forma quae sub sensus possit cadere, vultus expers et manuum et cuiuslibet materiae, quod non est haec aut illa cogitatio, vel doctrina ; quod non habitat in re mutabili, ut animali, aut terra, aut caelo, aut quavis re alia, quod vero semper manet idem et immutabile ; cuius est particeps qualiscumque res pulchra, ita tamen ut ex illa communicatione pulchrum ipsum nullam patiatur deminutionem, neque incrementum, nec ullam mutationem.

— Quod Pulchrum supremum ut possimus contemplari, prius res pulchras inferiores intueri oportet. Gradatim ex pulchris corporibus ad pulchros effectus, ex his deinde ad pulchras cognitiones assurgere debemus, dum ad perfectissimam notitiam *Pulchri ipsius* quod contemplemur in se ipso, perveniamus.

— O Socrates, vita haec nostra si laudanda est, nonne haec laus oritur ex aeternae pulchritudinis spectaculo ? Quanti esset pretii haec vita si nobis liceret contemplari pulchrum integrum et purum, non carne vel humanis coloribus, aut vanis atque fragilibus ornamentis indutum ; tan-

dem si nobis datum esset in aperto intueri Pulchritudinem divinam (1)!

Iam ex dictis *pulchri* « ἰδέαν » a *boni* « ἰδέα » non satis a Platone distinctam, immo *bono pulchrum* permixtum esse, vidimus. Quid mirum igitur, si nunc, ab illo ingenuas artes *bono* subiectas esse affirmamus! Ille enim *pro pulchro*, educationem morumque scientiam ingenuis artibus finem assignabat.

Porro, ex Platonis iudicio, artis natura rerum externarum imitatione constat. Cum vero res externae nihil sint nisi *Idearum* imagines, sequitur artes nihil esse praeter vanas imaginum imitationes. Quapropter Plato artem inter res vanas, immo periculosas adnumeravit; sic artifices hominibus infimis adsimulavit, et e sua republica expulit, ut qui animos falsis imaginibus corrumperent, eosque a veritate et a virtutibus averterent.

Ne tamen credas, artem a Platone omnino fuisse contemptam. Est enim ars quaedam quam unice commendabat, qua videlicet arte respublica constituebatur. Ea est ars quae mensura, proportione, rerum vel actionum convenientia, sapientia vel philosophia constans, valde utilis est reipublicæ (2).

Optimum enim esse artificem arbitrabatur philosophum qui *Ideas* contemplatus, in iisque defixus, non materiam inertem et perituram exsculpat, sed animum immortalem ad *Boni et*

(1) Le Banquet, t. VI, p. 316-318.
(2) Phèdre, t. VI, p. 105-112.

Pulchri similitudinem fingat; qui suos mores ad iusti normam dirigat; qui dialectica usus, veritatis lege notiones inter se conectat. Qua de causa Plato Deum ipsum affirmavit esse supremum artificem, qui universum orbem ad sui imaginem conformatum, secundum mirabiles divini consilii leges gubernet.

ARTICULUS II.

DE PULCHRO ET INGENUIS ARTIBUS ARISTOTELIS DOCTRINA.

Non idem est Aristotelis ingenium. Plato quidem doctrinae sublimitate, et dictionis splendore praestat; Aristoteles in vicem superior est vi demonstrandi atque ingenii sagacitate. Quae ingenii differentia apud utrumque philosophum, in eorum de *pulchro* doctrina, quemadmodum in ceteris philosophiæ partibus, manifesta est.

Aristoteles de *pulchro* nominatim scribendi consilium inierat. Ille enim haec scripsit: de hoc argumento (de pulchro) alias nominatim agemus (1).

Quod propositum fuisse effectum credere licet; Diogenes enim Laertius in suo Aristotelis operum indice quendam librum de *Pulchro* commemorat (2).

Certum est vero nullum usque ad nos pervenisse Aristotelis peculiarem de *pulchro* librum.

(1) Metaphys., lib. XIII, c. III. — La science du beau, t. II, p. 403. Ch. Lévêque.

(2) Diog. Laert., lib. IV, c. I. — La science du beau, t. II, p. 403. Ch. Lévêque.

Quare ut eius sententiam cognoscamus, eam ex illius variis operibus, et praesertim ex *Poetica* colligamus necesse est.

Nusquam Plato *pulchrum* verbis definivit ; Aristoteles contra expressam pulchritudinis definitionem tradidit. Hic enim cum scripsisset ordinem, harmoniam, mensuram pulchritudinis notas esse praecipuas (1), his verbis *pulchrum* definivit : *pulchrum ordine et magnitudine constat* (2).

Unitate etiam *pulchrum* constituitur. Aristoteles enim de fabularum compositione disserens praecipit ut *una* sit fabula; eiusdem partes omnes sic conectendas esse censet, ut *unum* aliquid efficiatur, atque nulla pars mutari vel abstrahi possit, quin *summa* turbetur (3).

Idem Platonem secutus *pulchrum* ab *utili* distinguit : *pulchrum*, inquit, *utili* praestat (4). Attamen a Platone dissentit, cum *pulchrum* a *bono* secernit : *bonum*, inquit, et *pulchrum*, duo sunt dissimilia (5).

Adest etiam inter utrumque philosophum alia non minima differentia. Plato enim res pulchras

(1) *τοῦ δέ καλοῦ μὲγιστα ἔιδη τάξις καί συμμετρια και τὸ ωρισμένον.* Metaph., lib. III, c. III. Brandis, p. 265. — La science du beau, t. II, p. 405. Ch. Lévêque.

(2) *τὸ γὰρ καλὸν έν μεγέθει καί τάξει ἐστι.* — Poétique, c. VII. Bekker, 1450. — La science du beau, p. 405. Ch. Lévêque.

(3) Poétique, chap. VIII, § 4, traduct. fr. de Barthélemy Saint-Hilaire, p. 47. — La science du beau, t. II, p. 410.

(4) Politique, lib. VII, c. XIII, § 8. Traduct. Barthél. Saint-Hil., p. 245.

(5) Metaph., lib. XIII, c. III. — La science du beau, t. II, p. 403. Ch. Lévêque.

neglexerat, ut ad *pulchrum ipsum* assurgeret; Aristoteles contra neglectis pulchritudinis exemplaribus aeternis, ideoque *pulchro ipso*, *pulchrum* magis in rebus inspicit.

Nil igitur mirum est, si Aristoteles de *artibus ingenuis* disseruit, magis quam de *pulchro ipso*, quippe quae artes ingenuae *pulchrum* praecipue in rebus ipsis intueantur.

Adde quod ingenuas artes *imitatione* constare docet. Altius tamen, atque Plato, imitationem scrutatur. Quidni? Aristoteles enim *ideas* rebus ipsis esse insitas affirmans, eo ipso potius rerum imitationem iure commendabat; Plato contra praedicans res ipsas, si ab *ideis* seponantur, non esse nisi vanas imagines, earundem imitationem spernebat. Aristoteles tamen non sine aliqua emendatione rerum imitationem fieri iubebat.

Hic enim cum videret non perfectam esse naturae rerum pulchritudinem, eo quod multa obstent impedimenta, et in primis materia, atque cum rerum species in artificis mente pulchriores esse quam in rebus naturae recte iudicaret, ut artifex ipse naturam emendaret, hortabatur.

Ita, iuxta Aristotelem, artifex rerum species quam maxime perfectas repraesentare debet, ideoque illas fingere, non ut sunt hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore, sed quales essent, si nihil obstaret quominus satis explicarentur.

Quare Aristoteles « ποιήσεῖς » vocat artis opera quorum species fulgent in mente artificis (1).

(1) Metaph., lib. VII, c. VII.

Quis igitur non videat Aristotelem magis quam Platonem ingenuas artes perscrutatum fuisse, et quasi adumbrasse hanc in artibus creationem, qualem praesertim aetatis nostrae artifices intellegunt? Ille tamen perfectas artium species quae sub sensus non cadunt nimis neglexit, earumque fundamentum ut in exemplaribus aeternis inquireret non satis curavit (1).

ARTICULUS III.

QUID DE PULCHRO ET DE INGENUIS ARTIBUS SENSERIT PLOTINUS.

Saeculo post Christum natum tertio florebat quidam philosophus ex Alexandrina disciplina celeberrimus, nomine Plotinus, qui de *pulchro* in opere quod Ἐννεάδες inscribitur diserte disputavit.

Ut autem Plotini de *pulchro* doctrinam intellegamus, eiusdem de summo rerum *principio* sententiam, uno quasi oculorum coniectu inspicere iam oportet.

Porro ea est Plotini sententia, ut ex *supremo Bono*, id est Uno absoluto, *Uno* sine ulla forma, tanquam ex summo principio omnia oriantur; non quadam creatione quasi a Deo artifice, sicut apud Platonem; sed ita effluant tanquam e fonte perenni.

Duplex est rerum processus; unus quo ex superioribus inferiora descendunt, alter, quo ad superiora redeunt inferiora; ita ut omnia ex *Uno* tan-

(1) De Plotin. libr., p. 12-15. (Grucker.) Parisiis, edit. 1866, apud Durand.

quam summo principio dilabantur, et ad *Unum* tanquam ad finem ultimum revertantur (1).

Atqui, teste Plotino, pulchritudo est *forma* quaedam una et simplex, qua partes rerum inter se componuntur et ad *Unum* reducuntur (2). Ubicumque est illa forma, ibi est pulchritudo; et quo purior forma, eo maior est pulchritudo.

Ubinam vero reperias illam formam? Apparet sane in corporibus, in rebus caelestibus, vel terrestribus; sed in corporibus obscura est et incerta, quo fit ut in illis potius sint pulchritudinis vestigia, quam vera pulchritudo.

In animis, qui materiae expertes sunt, purior est forma quam in corporibus, quare in illis vera est pulchritudo. Ceterum, si quando nobis videtur in corporibus aliqua pulchritudo, tunc sane forma, quae nostro animo insidet, tanquam norma utimur ad res corporeas perspiciendas, ideoque nosmetipsi pulchrum in corporibus quodammodo efficimus (3). Inest igitur inter pulchrum quod in rebus corporeis intuemur et animum nostrum quaedam cognatio vel similitudo (4).

Animus vero pulchritudinem sibi innatam perficere potest dum sese convertit ad Intellectum, *Ideas*que contemplatur quæ sunt in Intellectu, et quae, materiae compositionisque expertes sunt simplices, sine qualibet divisione vel oppositione,

(1) De Plotinianis libris, p. 16, 19. Grucker.
(2) Ennead. I, lib. VI, c. II, p. 31. Edit. Frid. Creuzer et H. Moser, Paris, 1855; edit. A. Didot.
(3) Ennead. V, lib. VIII, c. XI et XII, p. 358, 359.
(4) Ennead. V, lib. I, c. XI, p. 306, 307.

verae formae puræ et immutabiles, ipsa, uno verbo, pulchritudo !

Quas *Ideas* cum animus intuetur, eo fit pulchrior, quia in ipso redundat *Idearum* pulchritudo.

Illam vero animi pulchritudinem longe superat virtutis pulchritudo, quam animus explicat amando virtutem, vel bonum contemplando (1).

Denique supra virtutis pulchritudinem apparet in splendore puro, sine caligine vel minima, *Idearum* pulchritudo. Intellectus autem qui eas continet forma est perfectissima et suprema pulchritudo. Pulchrum igitur perfectum definiri potest : « Unum et simplex, mera et vera forma, « sine ulla materiae admixtione, sine partium « divisione, in quo nullum discrimen vel mini- « mum inveniri potest, quod pulchrum est se « ipso, se toto, semper, pulchritudinemque ad « sui imaginem generare potest (2) ».

Quae doctrina sane eminens est, et digna quae cum Platonis doctrina comparetur.

Praeterea iuxta Plotinum simul et iuxta Platonem, pulchritudo eam potestatem in summas animi dotes exercet, ut intellegentiam extollat usque ad *Pulchrum supremum*, et pulchri amorem animo infundat, et voluntatem impellat ad *Bonum supremum*.

Errat tamen Plotinus, nostro quidem iudicio, cum ipse affirmat pulchritudinem, ita esse ali-

(1) De Plotinianis libris, p. 28. Grucker. — Ennead. I, lib. VIII, c. XIV, p. 48.

(2) Ibidem de Plot. libr., p. 32. — Ennead. V, lib. IX, c. II, p. 361, 362. Traduct. Marsilii Ficini.

quid *simplex* et *unum*, ut mensuram et proportionem excludat (1).

Immo Plotini de rerum processu doctrina eam quam de *pulchro* instituit omnino subvertit. Quomodo enim ex *Uno* non definito, quod omnino forma caret, procedere possit pulchritudo quae forma constat ?

Praeterea quid fit de vi pulchritudinis efficiente, cum, si eidem Plotino fidem facimus, nihil vere efficitur, sed omnia oriuntur ex mera contemplatione (2) ?

Quid ? materia ipsa pulchritudinis est mera privatio, pulchroque omnino opposita (3).

Quae sententia corpoream destruit pulchritudinem ingenuasque artes.

Ars, Plotini etiam iudicio, naturae imitatione constat. Artem vero dum naturae confert, Plotinus non semper eamdem servat opinionem. Qui nunc naturae, nunc arti primas partes tribuit. Sic, cum naturae opus unum esse, multiplex vero opus artis, immo ex multis ortam operibus artem esse affirmat (4), super artem manifeste naturam extollit.

Cum vero naturam ipsam esse *Idearum* imitationem dicit, artificemque fingit non tam sequi naturam ipsam quam *Ideas* in animo insitas, rursus primas arti tribuit. Teste enim Plotino, arti-

(1) Ennead. I, lib. VI, c. I, p. 30 et 31.

(2) La science du beau, t. II, p. 456-460. Ch. Lévèque.

(3) Ennead. II, lib. IV, c. V, p. 73. — La science du beau, t. II, p. 443. Ch. Lévêque.

(4) De Plotin. libris, p. 35. Grucker. — Ennead. V, lib. VIII, c. IX, p. 357.

fex, quae in rebus naturae conspexit, ea in melius mutat, eisque aliquid novum adicit. Proinde ex Plotino, sicut ex Aristotele, vera *creatio* est artificis opus (1).

Attamen neminem fallat Plotiniana de ingenuis artibus opinio. Plotinus enim, ut qui *pulchro* materiam obstare opinetur, artes deprimit. Ex quo efficitur, ut, solos philosophos, qui a materia sese abstrahere assueverint, pulchritudinem perfectam, videlicet *Ideas* vel species aeternas in Intellectu divino posse contemplari dictitet : « Illic, inquit Plotinus, rutilant omnia, spectatoresque illos (philosophos) splendore collustrant, adeo ut ipsi quoque pulchri prorsus efficiantur : quemadmodum saepe accidit his qui in altissimos montes ascendunt, ubi flavum terra colorem habeat : colore namque illo statim inficiuntur, facti similes terræ in quam ascenderant (2). »

(1) Ibidem, p. 39. Grucker. — Ennead. V, lib. VIII, c. I, p. 349.
(2) Ennead. V, lib. VIII, c. x, p. 357-358. Traductio Marsilii Ficini castigata quam ediderunt Frid. Creuzer et Henricus Moser. Parisiis, 1855, editore Ambr. Didot.

SANCTI AUGUSTINI DOCTRINA

DE PULCHRO ET INGENUIS ARTIBUS

CAPUT II.

DE PULCHRO.

Philosophorum igitur praecipuorum qui Augustino aetate superiores exstitere, iam praecognita de *pulchro* ingenuisque artibus doctrina, quid de *pulchro* iisdemque artibus Augustinus ipse senserit, nunc facilius intellegemus.

Atqui amisso quem de *pulchro* scripsit libello, Augustini doctrinam si volumus cognoscere, reliquum est ut varias eius partes, quae tanquam membra disiecta in diversis operibus passim inveniuntur, colligamus. Nostri vero philosophi numerosa sunt opera in quibus de *pulchri* natura inquisitiones reperias.

Illis ex operibus, ut iam ab initio ea, in quibus praecipue continentur *pulchri* elementa, indicemus, citandi sunt hi libelli qui inscribuntur : « Confessiones » ; « De vera Religione » ; « De Musica » ; « De Ordine » ; « De Civitate Dei ».

Nec quis miretur, si nunc Augustinianam de

pulchro doctrinam cum Platonis vel Plotini sententia, multis in partibus convenire dicamus. Augustinus enim, ut qui et ipse in philosophia excelleret, et in Platonis cognitione potissimum versaretur, nec ignarus esset Alexandrinae disciplinae(1), ex Plotini ratione, Platonisque maxime ex doctrina multa deprompsit.

Attamen non omnino eadem est illorum philosophorum sententia. Augustinus, quamvis in quibusdam partibus cum Platone Plotinoque consentiat, in quibusdam tamen aliis ab illis philosophis dissentit. Immo novis aliquot principiis et potissimum *numeris* ex Pythagoreorum philosophia depromptis, idem clarius et planius pulchri naturam explicat.

Augustini de *pulchro* doctrina, quae usque ad nos fuit transmissa, variis in eius operibus iacet dispersa. Quam ut conectamus, ordinem quendam instituere necessarium est. Quare ab ipsa *pulchri* natura exordiemur; deinde eiusdem vestigia sectati de variis *pulchri* formis aut significationibus sermonem agemus; et tandem quamnam vim pulchritudo nostras in facultates exerceat, cum Augustino inquiremus.

De ipsa PULCHRI natura, sive de principiis quae pulchritudinis naturam constituunt.

Augustinus primum animadvertit pulchritudinis aspectu semetipsum sensu amoris affici;

(1) De Civitate Dei, lib. X, c. XIV; lib. VIII, c. VII.

inde ut *pulchri* naturam exquirat, impellitur : « Num amamus aliquid nisi pulchrum ? Quid est ergo pulchrum ? (1).

Pulchri vero natura ut recte intellegatur, primum a *pulchri* notione oportet diligenter seponere notiones, quibus assimilari non debet ; deinde varia evolvere elementa vel principia quibus *pulchrum* constituatur.

Atqui, iuxta Augustinum, aliquid est, quod sane *pulchro* appropinquat, *aptum* videlicet, quod tamen a *pulchro* distinguendum est.

Iam a Platone *aptum* a *pulchro* distinctum fuerat ; quorum inter se differentiam plane notavit Augustinus. Quin hic *pulchrum* ab *apto* iam nominatim disiunxerat in libello cui titulus : « De Pulchro et Apto ».

Eadem ratione quantum aliud ab alio differret Augustinus docuit in opere quod inscribitur : « Confessiones » : « Et ibat animus meus per *formas* corporeas ; et *pulchrum*, quod *per se ipsum* ; *aptum* autem, quod *ad aliquid accommodatum* deceret, definiebam et distinguebam ; et exemplis corporeis astruebam » (2).

Quam sententiam Augustinus in alia parte suorum operum explicat. Quanta sit enim differentia inter *pulchrum* et *aptum*, quisque, inquit, intellegere potest ; si modo quæ sparsa sunt in rerum universitate, vult intueri. Ubique enim inveniet *pulchrum* et *aptum* ita inter se differre, ut *pulchro*

(1) Ex Confess., lib IV, c. XIII, t. I, col. 701.

(2) Confess., lib. IV, c. XV, t. I, col. 703 : Sti Augustini opera, Edit. in-4o, Migne, Paris, 1845.

oppositum sit *deforme* vel *turpe*, *apto* autem *ineptum* sit contrarium : « *Pulchrum* enim *per se ipsum* consideratur atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium est. *Aptum* vero cui ex adverso est ineptum, quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed *ex eo cui connectitur*, iudicatur » (1).

Inde videtur ab *apto pulchrum* eo esse distinctum, quod hoc, ut ait ipse, ut sit *pulchrum*, non « accommodatione ad aliquid » egeat, dum illud contra, ut sit *aptum* illam « accommodationem ad aliquid » necessario requirat.

Quis non videat illam distinctionis causam ab Augustino datam, non esse dissimilem ab ea quae a quibusdam huiusce aetatis philosophis notatur inter *pulchrum* et *utile* ?

Doctor ille insuper a *iucundo* atque ab *apto* pulchritudinem item seiungit : « Et quæram, in-« quit, utrum ideo pulchra sint (corpora), quia « delectant; an ideo delectent, quia pulchra sunt. « Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo « delectare quia pulchra sunt (2). »

Igitur non eundem sensum habent verba *pulchrum* atque *iucundum*, cum *pulchrum* sit delectationis principium, sed non vicissim.

Pulchrum etiam corporea cum materia ne confundas : « Cum corpus non eo sit magnum et pulchrum quo corpus est ; quia etsi minus magnum et minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset » (3).

(1) Epistola : Marcellino Augustinus, c. I, t. II, col. 527.
(2) De vera Religione, c. XXXII, t. III, col. 148.
(3) Confess. lib. IV, c. XVI, t. I, col. 705.

Neve pulchritudo cum mole corporum commisceatur : « Sicut in specie visibilis hominis, si « unum radatur supercilium, quam prope modum « nihil corpori, et quam multum detrahitur pul- « chritudini ; quoniam non mole constat, sed pa- « rilitate ac dimensione » (1).

His clare liquet *pulchrum* ab Augustino distinctum fuisse a quibusdam notionibus, ut a corporum mole, a corporea materia, a iucundo, atque ab apto. Quæ distinctio postea clarior apparebit.

Iam, quaenam sit iuxta Augustinum vera *pulchri* natura, vel quibusnam constituatur elementis, inquirendum est.

Philosophi qui hactenus de pulchro scripserunt, pulchritudinis principium in quadam *unitate* externa ab Augustino fuisse positum docuerunt ; itaque saepius ab iis fuerunt commemorata, utpote quae divi Augustini mentem plane aperirent, haec nota verba : « Omnis porro pulchritudinis forma unitas est » (2).

Quae *unitas*, sane quidem ex Augustino, ad pulchritudinem pertinet ; nusquam vero in *unitate* intimam pulchritudinis naturam contineri docuit.

Etenim, pulchri principium, si Augustinum audire velis, *numerus* est : ad *numerum* refertur quodvis pulchritudinis genus. Quidquid placet, id *numero* placet ; quaecumque sunt pulchra ex *numeris* pulchritudinem habent, ita ut sine *numeris* nusquam possit esse pulchritudo : « Et (ratio) terram, caelumque collustrans, sensit nihil

(1) De Civitate Dei, lib. XI, c. XXII, t. VII, col. 335.
(2) Epist. XVIII : Augustinus Caelestino, t. II, col. 85.

aliud quam pulchritudinem sibi placere, et in pulchritudine figuras, in figuris dimensiones, in dimensionibus *numeros* » (1).

Quare Augustinus ut in rerum natura quantam vim haberent *numeri* ostenderet, sex libros de *numeris* in tractatu cui titulus « Musica » scripsit.

Hic pulchri studiosus inquisitor, ex sonorum numeris ad numeros qui non auribus sed ratione percipiuntur, dein ad Deum gradatim ascendit : « Verum quia in omnibus rerum motibus quid « numeri valeant, facilius consideratur in voci- « bus, eaque consideratio quibusdam quasi gra- « datis itineribus nititur ad superna intima ve- « ritatis... volui per ista quae a nobis desiderasti « scripta proludere, quando conscripsi de solo « rhythmo sex libros » (2).

Iam deducere licet quantum *numeri* apud Augustinum habeant momentum, præsertim cum de pulchritudine agitur. Sed ut perfecte intellegamus quid ii significent *numeri*, et quare tantas in philosophia partes *numeris* Augustinus tribuerit, hic Pythagoreos *numeros* commemorare non infelicis erit operae.

Neminem fugit Pythagorae doctrinam *numerorum philosophiam* esse appellatam. Quam sane Augustinus non ignorabat. Immo non inconsultum est affirmare Augustinianam de *numeris* doctrinam ex illa philosophia fuisse partim eductam.

Quamnam igitur significationem apud Pythagoram *numerus* habuit ?

(1) De Ordine, lib. II, c. xv, col. 1014.
(2) Epist. 101, Memorio episcopo, t. I, col. 1081-82.

Secundum Pythagoram, *numerus* est rerum principium. *Numerus* vel *rhythmus* mundum universum movet ; atque in *numeris* certissima est ratio seminum quae ex unitate oriuntur (1). Ceterum *rhythmus* non est nisi ordo qui rerum naturam constituit.

Numerus igitur, quippe qui sit ipsa lex vitae, res ad suum finem progredientes regit. Res enim quaelibet e semine exoritur, continuaque motuum serie ad suum finem, id est, ad suam quaeque perfectionem progreditur, itaque *numerum* sibi proprium absolvit (2). *Numerus* enim finis est rei uniuscuiusque vel perfectio. Quare, iuxta Pythagoram, *numerus* ipsam rerum naturam, atque convenientiam vel proportionem, legem, ordinemque significat.

Idem *numerus*, quamvis cum materia mutabili in corporibus coniungatur, cum ea non confunditur. *Numerorum* enim natura non corporea est, nec sub sensus cadit ; sola intellegentia percipitur (3).

Numerus omnia regit, orbem universum, scientias, artes et inprimis musicam. Deus ipse, et animi hominum, uno verbo quaecumque sunt in mundo constant *numeris* quorum concentu universa progignuntur (4).

(1) Jambl. in Arithm., p. 11. Pythagore et la philosophie pythagoricienne, t. II, p. 23, Chaignet.

(2) Philol. fragm., ibidem, Chaignet.

(3) Arist. met. III, 5, ibidem, p. 35, Chaignet.

(4) Comment. L. Vivès in lib. de Civitate Dei. August. edit. 1580, Basileæ, in-folio, col. 347. Diog. Laert. VIII, 33, Philol. Chaignet, p. 129-139.

Pythagoras ipse, cum iam propius aberat a morte, musicam *numerorum* ratione edisci magis quam aurium sensu discipulos edocuit (1). Etenim musica in sonorum modulatione et concentu rationem aliquam, quae sola percipiatur intellegentia, continet (2). Quae ratio *numeris* constat. Sonantium enim motus corporum tunc modulationem habent aut suavitatem, cum *numeris* reguntur (3). Ii auribus audiantur sane necesse est ; nihilominus ad intellegentiam spectant, nec capiuntur nisi intellegentia. Ratio enim musicae et cuiuslibet artis iudex est supremus (4).

Iidem, qui in agris pastorum carmina moderantur, in siderum harmoniis reperiuntur, caeloque alto resonant. Itaque rerum universitas est ingens harmonia, vel, si placet, fides canorae quibus divinos sonorum concentus efficit Deus (5).

Numerus igitur rerum universarum lex est suprema. Cum vero, ut Pythagoreis videtur, ea lex sit pulchra (6), sequitur *numerum* esse pulchri principium.

Eandem prorsus sententiam Augustinus mirabilem in modum explanavit.

Numerus, quod verbum eandem vim habet ac graece ῥυθμός, designat *legem* secundum quam,

(1) Chaignet, p. 136.
(2) Arist. Polit. VIII. Chaignet, p. 138.
(3) Arist. Polit. Chaignet, p. 138.
(4) Chaignet, p. 139.
(5) (Archyt. fragm.) Chaignet, p. 155-156.
(6) Arist. De Cael. II, 13. Chaignet, p. 78-79.

puta in musica atque poesi, sonorum et pedum motus ordinantur : « Quod autem non esset « certo fine moderatum, sed tamen rationabiliter « ordinatis pedibus curreret, *rhythmi* nomine « (ratio) notavit ; qui latine nihil aliud quam « *numerus* dici potuit (1). »

Alio loco : « Sive in rhythmis, sive in ipsa mo- « dulatione (ratio) intelligebat regnare *numeros*, « totumque perficere (2). »

Eadem significatio iam a Cicerone *numero* tribuitur: « *Numerosum* est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones (3), et quod metiri possumus intervallis aequalibus » (4) ; alibi : « Distinctio (5), et aequalium, aut saepe variorum intervallorum percussio numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quae intervallis distinguuntur, notare possumus, in amni praecipitante non possumus » (6).

Numerus apud Augustinum principium intimum est atque fecundum quod rerum ordinem efficit ; ea lex est qua res congruenter et numerose explicantur.

Quare, cum Deus semina rerum creavit, iis vim quandam cuique generi propriam, seu *numeros* quos res quaeque secundum genus suum evol-

(1) De Ordine, lib. II, c. XIV, col. 1014, t. I.

(2) Ibidem.

(3) Id est, percussiones, « in oratione verborum coniunctionem, sicuti versum, *numerose cadere*, volumus. De Oratore, Cicero, lib. III, c. XLIV.

(4) De Oratore, Cicero, lib. III, c. XLVIII.

(5) (Orationis,) id est, oratio non continua, sed articulis membrisque distincta.

(6) De Oratore, lib. III, c. XLVIII.

veret, inseruit: « Sic enim terra ad Dei verbum « ea (semina) produxit, antequam exorta essent, « accipiens omnes *numeros* eorum, quos per « tempora exsereret secundum genus suum (1). »

Numerus etiam est : « ea potentia qua Deus « secundum *Scripturam sacram* fortiter a fine « usque ad finem attingit (2) ; imo est sapien« tia qua Deus disponit *omnia suaviter* (3.) »

« Non frustra in Sanctis Libris sapientiae con« iunctus est *numerus*, ubi dictum est : *Circuivi « ego et cor meum, ut scirem, et considerarem, et « quaererem sapientiam et numerum* (4). »

Ex his nonne sequitur *numeri* rationem esse communem et stabilem, quae intellegentia sola, non vero sensibus percipiatur ? Quare Augustinus dicit : « Coguntur fateri, quibus disputan« tibus Deus donavit ingenium, et pertinacia ca« liginem non obducit, *rationem* veritatemque « *numerorum*, et ad sensus corporis non perti« nere, et inversibilem sinceramque consistere, « et omnibus ratiocinantibus ad videndum esse « *communem* (5). »

Alio loco, Augustinus scribit *numerorum* rationem non positam esse « in spatiis locorum et « temporum (6), quia illa tument et ista praete-

(1) De Genesi ad litteram, lib. V, c. v, col. 326, t. III.

(2) Sap. viii, 1, Script. S.

(3) Sap. viii. De Libero Arbitrio, lib. II, c. xi, col. 1258, t. I.

(4) De Libero Arbitrio, lib. II, c. viii, col. 1253, Eccl. vii, 26.

(5) De Libero Arbitrio, lib. II, c. viii.

(6) De Musica, lib. VI, c. xii, col. 1181, t. I.

« reunt (1), non in corporum formis, aut in tem-
« porum intervallis (2), sed animo inhaerere,
« artisque legem in artificis mente consis-
« tere (3). »

Immo *individua* est *numerorum* ratio ; quare, quanquam in corporibus apparent *numeri*, corporea tamen cum materia *numerorum* natura non confundi debet. Itaque *numeri* « in ipsa mo-
« tione vitali quae in seminibus operatur magis
« mirandi sunt quam in corpore. » Corporea enim materia dividi potest, non vero « *motio vitalis.* »
« Si enim *numeri* seminum sicut ipsa semina
« tumerent, de dimidio grano fici, arbor dimidia
« nasceretur, neque de animalium seminibus
« etiam non totis, animalia tota et integra gigne-
« rentur, neque tantillum et unum semen vim
« haberet sui cuiusque generis innumerabilem.
« De uno quippe secundum suam naturam pos-
« sunt, vel segetes segetum, vel silvae silvarum,
« vel greges gregum, vel populi populorum per
« saecula propagari, ut nullum folium sit, vel
« nullus pilus per tam numerosam successionem,
« cuius non ratio in illo primo et uno semine
« fuerit (4). »

Inde sequitur *numerum* esse rerum principium vel legem.

Quae cum ita sint, res quaelibet suos habet *numeros* : « Dedit numeros omnibus rebus etiam
« infimis, et in fine rerum locatis, et corpora

(1) Ibidem, col. 1182.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem.
(4) De vera Religione, c. XLII, col. 158, t. III.

« enim omnia quamvis in rebus extrema sint, « habent numeros suos (1). »

Deinde Augustinus varia *numerorum* distinguit genera. Sic numeros « *corporales* » ut sonos in musica discernit a numeris qui sunt in hominis anima. Numerorum autem quinque genera in anima esse affirmat : numeros « *occursores* » qui metiantur affectus, cum anima colorem aut sonum percipiat ; numeros « *progressores* » qui motus in actionibus regant, cum anima corpus moveat ; numeros « *recordabiles* » quos memoria retineat ; numeros « *iudiciales* » qui sint « in de« lectatione convenientiæ et offensione absurdi« tatis affectionum », seu in facultate delectationem experiendi propter pulchritudinem aut fastidium sentiendi propter deformitatem (2) ; denique « *rationis* » *numeros* quibus delectationem aut fastidium aestimemus : « Nos ergo in « istis generibus (numerorum) numerandis et « distinguendis, unius naturae, id est animae « motus affectionesque dispicimus. Quare, si, ut « aliud est ad ea quae corpus patitur moveri, quod « fit in sentiendo ; aliud movere se ad corpus, « quod fit in operando ; aliud quod ex his mo« tibus in anima factum est continere, quod « est meminisse ; ita est aliud annuere, vel re« nuere his motibus, aut cum primitus exserun« tur, aut cum recordatione resuscitantur, quod « fit in delectatione convenientiæ, et offensione « absurditatis talium motionum sive affectionum ;

(1) De Libero Arbitrio, lib. II, c. XI, col. 1258, t. I.
(2) De Musica, lib. VI, col. 1171, 1172, c. VI.

« et aliud est aestimare utrum recte an secus « ista delectent, quod fit ratiocinando : necesse « est fateamur ita haec esse duo genera, ut illa « sunt tria. Et si recte nobis visum est, nisi qui- « busdam *numeris* esset ipse delectationis sen- « sus imbutus, nullo modo eum potuisse annuere « paribus intervallis, et perturbata respuere : « recte etiam videri potest ratio, quae huic de- « lectationi superimponitur, nullo modo sine « quibusdam *numeris* vivacioribus, de *numeris* quos infra se habet posse iudicare. Quae si vera « sunt, apparet inventa esse in anima quinque « genera *numerorum*, quibus cum addideris cor- « porales illos quos sonantes vocavimus, sex ge- « nera *numerorum* disposita et ordinata co- « gnosces (1). »

Igitur *numerus* sive in affectibus, sive in actionibus, animae motus regit, eiusque vis moderatrix ad rationem praecipue pertinet.

Varia etiam *numerorum* distinguit genera, quae universum gradatim regunt. Ita, qui ad locum, qui ad tempus spectant *numeros* describit ; supra eos adsunt *numeri* « vitales », tandem in summo gradu *numeri* « intellectuales » : « Ista certe om- « nia (videlicet terra, aqua, aer, et caeli) quae « carnalis sensus ministerio numeramus, et quae- « cumque in eis sunt, locales *numeros* qui viden- « tur esse in aliquo statu, nisi praecedentibus « intimis et in silentio temporalibus *numeris* qui « sunt in motu, nec accipere illos possunt, nec « habere. Illos itidem temporum intervallis agi-

(1) Ibidem, c. IX, col. 1176, 1177.

« les praecedit et modificat vitalis motus, serviens « Domino rerum omnium, non temporalia habens « digesta intervalla *numerorum* suorum, sed « tempora ministrante potentia ; supra quam ra- « tionales et intellectuales *numeri* beatarum ani- « marum atque sanctarum, legem ipsam Dei, « nulla interposita natura, excipientes, usque ad « terrena et inferna iura transmittunt » (1).

Res vero quaecumque cum regantur *numeris*, nonne inde sequitur res qualescumque esse pulchras? Minime. Etenim, « pulchra placent », inquit Augustinus, amoremque excitant : « Num amamus aliquid nisi pulchrum » (2)? Res vero quaedam, eo quod deformes videntur, nobis odiosae exstant.

Quonam igitur pacto res efficiuntur pulchrae ? Oportet *numeros* ad suum finem rite procedere, id est, secundum suam legem cum ordine moveri, et quibusdam notis externis exprimi, ut sensibus manifesti fiant. Quæ notæ tanquam « *forma* » pulchritudinis haberi possunt.

Tum, quibusnam notis *numeri* pulchritudinem in rebus manifestam faciant, si Augustinum interrogaveris, reperies eas esse *unitatem* et *varietatem*, *aequalitatem* vel *partium similitudinem*, convenientiam vel *proportionem*, et *ordinem*.

Inter omnes *pulchri* notas una est maximi momenti, videlicet *unitas*. Unitatem enim *formam* esse omnis pulchritudinis Augustinus saepe et firmissime asseverat : « Cum autem, inquit,

(1) De Musica, lib. VI, c. XVII, col. 1193.
(2) Ex Confess., lib. IV, c. XIII, t. I, col. 701.

« omne quod esse dicimus, in quantum manet
« dicamus, et in quantum *unum* est, *omnis porro*
« *pulchritudinis forma unitas sit* : vides profecto
« in ista distributione naturarum, quid summe
« sit, quid infime et tamen sit, quid medie, ma-
« iusque infimo, et minus summo sit » (1).

Nemo nescit quamobrem *unitas* pulchri *formae* necessaria sit. *Numerus* enim, ut iam diximus, rerum principium vel legem constituit. Res vero quaeque pulchritudine resplendere nequit, nisi quandam *unitatem* obtineat. Etenim sine unitate nec ulla res perfici, immo nec exsistere potest. Quare omnia ad *unum* tendunt. Quod Augustinus variis monstrat exemplis :

« Quid arbor? nonne arbor non esset, si *una*
« non esset? Quid membra cuiuslibet animantis
« ac viscera, et quidquid est eorum e quibus cons-
« tat? Certe si *unitatis* patiantur divortium, non
« erit animal. Amici quid aliud quam *unum* esse
« conantur? Et quanto magis *unum*, tanto magis
« amici sunt. Populus *una* civitas est cui est pe-
« riculosa dissensio : quid est autem dissentire,
« nisi non *unum* sentire? Quid amor omnis?
« nonne *unum* vult fieri cum eo quod amat, et si
« ei contingat, *unum* cum eo fit » (2).

Haec autem *unitas* confundi non debet cum illa quam Plotinus tanquam *pulchri* principium vindicabat. Etenim, ex Plotini sententia, *unitas* illa maxime partium privatione ita constat, ut, quo magis quid materia vel partibus careat,

(1) Epist. XVIII : Augustinus Caelestino, t. II, col. 85.
(2) De Ordine, lib. II, c. XVIII, t. I, col. 1017.

id est, quo sit simplicius, eo pulchrius fiat. Non autem ea est *unitas* quam Augustinus ad *pulchri saltem corporei* naturam exposcit.

Haec enim partibus ad aliquod totum tanquam *unum* efficiendum convenientibus constituitur, nedum partium divisionem excludat. Immo pulchritudo quae partibus constat multo laudabilior est in toto quam in parte: « Omnis enim pulchri« tudo quae partibus constat, multo est laudabi« lior in toto quam in parte: sicut in corpore hu« mano, si laudamus oculos solos, si nasum « solum, si solas genas aut solum caput, aut « solas manus, aut solos pedes, et caetera si « pulchra singula et sola laudamus; quanto « magis totum corpus cui omnia membra, quae « singula pulchra sunt, conferunt pulchritudi« nem suam: ita ut manus pulchra, quae etiam « sola laudabatur in corpore, si separetur a « corpore, et ipsa amittat gratiam suam, et « caetera sine illa inhonesta sint. Tanta est vis « et potentia integritatis et *unitatis* ut etiam quae « multa sunt bona tunc placeant, cum in *univer-* « *sum* aliquid conveniunt atque concurrunt. Uni« versum autem ab *unitate* nomen accepit » (1).

Insuper ea est vis *unitatis* quae ex *toto* oritur, ut haec *totius* vel illa pars quae in *toto* separatim examinata non pulchra videtur, ubi cum *toto* consideratur, tunc pulchra haberi possit, dummodo ad pulchritudinem *totius* aliquid conferat: « Quia « etiam, ait Augustinus, in sermone aliquo or-

(1) De Genesi contra Manichaeos, lib. I, c. xxi, t. III, col. 188.

« nato atque composito si consideremus singu-
« las syllabas, vel etiam singulas litteras, quae
« cum sonuerint statim transeunt, non in eis
« invenimus quid delectet atque laudandum sit.
« Totus enim ille sermo non de singulis syllabis
« aut litteris, sed de omnibus pulcher est » (1).

Iure igitur Augustinus *varietate* etiam constare pulchritudinem asseveravit.

In sententia Plotini, qui *unitatem*, partium privatione constitui docuit, *varietas* a pulchritudine necessario excludebatur. Verum apud Augustinum *unitas* quae *forma* pulchritudinis habetur, ad *totum* quasi *unum* efficiendum *varias* partes admittit, nedum partium privatione constet.

Igitur non secum pugnat Augustinus, cum *unitatem* simul et *varietatem* inter pulchri elementa statuit.

Quare, cum in musica pedum structuram describit, eorundem *varietatem* pulchris vel suavibus sonis tanquam necessariam commendat:
« Quid? illud nonne approbas, alios aliis pedes
« aequalitate servata esse miscendos? Quid enim
« auribus potest iucundius esse quam cum et
« *varietate* mulcentur, nec aequalitate fraudan-
« tur » (2).

Iam videtur etiam *aequalitate pulchrum* constitui. Revera *aequalitas* quaedam apparet in rebus quibus inest pulchritudo. Quae enim pulchra sunt, teste Augustino, *aequalitate* placent: « Haec igitur

(1) Ibidem, col. 188, 189.
(2) De Musica, lib. II, c. IX, t. I, col. 1109.

« pulchra *numero* placent in quo iam ostendi-
« mus *aequalitatem* appeti. Non enim hoc tantum
« in ea pulchritudine quae ad aures pertinet,
« atque in motu corporum est, invenitur; sed in
« ipsis etiam visibilibus formis, in quibus iam
« usitatius dicitur pulchritudo » (1).

Hic animadvertere licet, commemoratam esse hanc solam *aequalitatem* quae ad visum vel auditum pertinet. Quam ob causam? quia, ex Augustino, ut infra clarius apparebit, ad aures oculosque, non vero ad ceteros sensus spectat pulchritudo.

Aequalitati autem omnino affinis est *similitudo partium*. Propterea *similitudinem* Augustinus connumerat: « Et tanto est pulchrius corpus,
« quanto *similioribus* inter se partibus suis
« constat » (2).

Immo Augustinus inter *aequalitatem* et *similitudinem partium* nullum discrimen admittere videtur. « Ubi autem *aequalitas* aut *similitudo*, ibi
« *numerositas*: nihil est quippe tam aequale aut
« simile quam unum et unum » (3).

Alteram ab altera si discernere volueris, *aequales* esse partes in quibus insit eadem mensura, eas vero *similes*, quae et eandem mensuram et eandem formam habeant, oportet fatearis.

Has praeterea partes *aequales* vel *similes*, ut *totum* sit *pulchrum*, *toti convenientes* esse opor-

(1) De Musica, lib. VI, c. XIII, t. I, col. 1183.

(2) De Genesi ad litteram, liber imperfectus, t. III, col. 243.

(3) De Musica, lib. VI, c. XIII, edit. 1614, in-folio, Parisiis, t. I, p. 170 et 171.

tet. Quare Augustinus omnia esse pulchra propter *convenientiam* passim affirmat : « Sed cum in « omnibus artibus *convenientia* placeat, qua una « salva et *pulchra* sunt omnia, etc. » (1). Alibi : « Cum illa ipsa *numerosa* successio, et quaedam « gradatio, sive localium, sive temporalium spa-« tiorum, non tumore vel mora, sed ordinata *con-« venientia pulchra* iudicetur, etc., etc. » (2).

Convenientia autem dupliciter intellegitur. *Convenientia* enim aliquando idem significare atque *aptum* videtur. Atqui, ex altera parte, Augustinus inter *pulchrum* et *aptum* distinctionem posuit. Ideone Nostrum secum pugnare cogitandum est? Minime, quippe quia non eandem vim habeant apud Augustinum *aptum* et *convenientia*. « *Aptum* est quod ad aliquid accommodatum « decet » (3). *Convenientia* vero unitate et aequalitate, atque partium congruentia constituitur : « ipsa vero *convenientia* aequalitatem unitatem-« que appetit, vel similitudinem parium partium, « vel gradationem disparium » (4). Inde *convenientiam* ad *pulchri* naturam pertinere, sciens ac prudens affirmavit.

Ex quo sequitur inter *aequalitatem* et *convenientiam* discrimen in hoc solum consistere quod *aequalitas* partium paritatem tantummodo significet, *convenientia* vero praeter illam paritatem, *unitatem* etiam partium ad totius rei ordinem requirat. *Convenientes* enim non dicuntur

(1) De vera Religione, c. xxx, t. III, col. 146 et 147.
(2) Ibidem.
(3) Confess., lib. IV, c. xv, t. I, col. 703.
(4) De vera Religione, c. xxx, t. III, col. 146, 147.

partes quae in totum aliquid quasi in *unum* efficiendum inter se non coeant.

Praeterea illam paritatem *convenientia* non necessario poscit, ut quae partium etiam « disparium gradationem » aliquando appetat.

Quam *convenientiam* eandem esse atque illam *proportionem* quam inter pulchri elementa Plato eleganter describit, clare apparet.

Ceterum Augustinus ipse illam pulchritudinis notam, modo *convenientiam*, modo *proportionem* sine ullo delectu nominat.

Iam notae supra memoratae, videlicet unitas cum varietate, aequalitas et convenientia *numeri pulchritudinem* ostendunt : « *Numerus* et ab uno « incipit et aequalitate vel similitudine *pulcher* « est » (1).

Numeri autem pulchritudo absolvitur *ordine* : « *Numerus ordine* copulatur » (2).

Ordinis naturam sic aperit Augustinus : « *ordo* « est parium dispariumque rerum sua cuique « loca tribuens dispositio » (3). Ergo *ordo* cum varietate coniungitur, immo cum aliis *pulchri* notis, unitate videlicet et convenientia vel proportione arte conectitur : « *Ordo* enim ad convenien- « tiam quamdam, quod ordinat, redigit. Nihil est « autem esse, quam unum esse. Itaque in quan- « tum quidque unitatem adipiscitur, in tantum « est. Unitatis est enim operatio, convenientia « et concordia, qua sunt in quantum sunt ea quae « composita sunt : nam simplicia per se sunt,

(1) De Musica, lib. VI, c. XVII, t. I, col. 1191.
(2) Ibidem.
(3) De Civitate Dei, lib. XIX, c. XIII, t. VII, col 640.

« quia una sunt ; quae autem non sunt simplicia,
« concordia partium imitantur unitatem, et in tan-
« tum sunt in quantum assequuntur » (1).

Immo ea est vis *ordinis* ad *pulchrum* efficiendum, ut, ubicumque sit, ibi fulgeat pulchritudo ; itaque quidquid ordinatum est, quantumvis sit foedum, *pulchrum* apparet (2).

Audiamus enim Augustinum : « Ita *ordinantur* omnes officiis et finibus suis in *pulchritudinem* universitatis, ut quod horremus in parte, si cum *toto* consideremus plurimum placeat : quia nec in aedificio iudicando unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronuntiante solum digitorum motum. Ista enim quae propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu, sive in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si recte volumus iudicare » (3).

Eae notae quas commemoravimus, utpote quae *numeros* aperiant, *pulchri formam* constituunt.

Ergo in Augustini doctrina, pulchri natura *numeris* maxime constat.

Quis iam non videat inter doctrinam Augustini quae *pulchri* rationem ad *numeros* refert, et eam disciplinam quae hodie quamlibet vim in rerum natura ad *motum* reducere nititur, artam esse affinitatem ? *Numerus* enim vel *rhythmus* quid significat, nisi *motum* cum mensura et proportione ?

Quid ? Augustinus consentiens cum ple-

(1) De moribus Manichæorum, lib. II, c. VI, t. I, col. 1348.
(2) De vera Religione, c. XL, t. III, col. 156.
(3) Ibidem.

risque philosophis recentioribus, pulchritudinem tantum ad visum auditumque pertinere, pulchrosque dici colores aut sonos, non vero odores aut sapores docet.

Quae sententia comprobatur *numerorum* doctrina ; immo confirmatur ipsa recentiore scientia quae ex aetheris aut aeris *motibus* colorum aut sonorum causam depromit.

Ita facile est intellectu quomodo, prætermissis reliquorum sensuum affectibus, colores et soni *pulchri* dicantur, cum sonorum et colorum pulchritudo *numeris* vel *motibus numerosis* constet.

Ex doctrina memorata omnibus iam manifestum est requiri, ut res nobis pulchrae videantur, in primis principium intimum quod sub sensus non cadat solaque intellegentia percipiatur, videlicet principium « *rationabile* » (1) vel *numerorum rationem*, tum *formam* quae *numeri* vestigia sensibus aperiat: « Tenemus, quantum investigare « potuimus, quaedam vestigia rationis in sensi« bus, et quod ad visum atque auditum pertinet, « in ipsa etiam voluptate » (2).

Vestigia autem *numeri* notis saepe indicatis, unitate et varietate, aequalitate vel partium similitudine, convenientia vel proportione, atque ordine sunt manifesta. Eae vero notæ *pulchrum* significant, reipsa non efficiunt.

Ergo verum *pulchri* principium, lex *numerorum*, in corporibus adumbratur, sub sensus non cadit, solaque intellegentia apprehenditur.

(1) De Ordine, lib. II, c. XI, t. I, col. 1010.
(2) Ibidem.

« Aequalitatem illam quam in sensibilibus « *numeris* non reperiebamus certam manen- « tem, sed tamen adumbratam et prætereuntem « agnoscebamus, nusquam profecto appeteret « animus, nisi alicubi nota esset ; hoc autem ali- « cubi non in spatiis locorum et temporum, nam « illa tument et ista praetereunt » (1).

Sequitur verum pulchritudinis principium esse immutabile, et quamvis mente cognitum mentem tamen humanam superare, atque ex mentis arbitrio non pendere.

Tum Augustinus ex pulchris rebus quae mutantur et pereunt usque ad immutabile pulchritudinis principium exsurgit. Is supra mentem humanam quaerit immutabilem aeternamque intellegentiam ex qua suum stabile principium teneat pulchritudo.

Illa intellegentia immutabilis et aeterna Deus est. Audi Augustinum : « Age nunc, dic mihi « utrum hi *numeri* de quibus sic quaeritur com- « mutabiles esse tibi videantur ? — Discipulus. « Nullo modo. — Magister. Ergo aeternos esse non « negas ? — Discipulus. Imo fateor — M. Unde « ergo credendum est animae tribui quod aeter- « num est et incommutabile, nisi ab uno aeterno « et incommutabili Deo ? — D. Non video quid « aliud credi oporteat » (2).

Deus, quia in eo sunt *numeri* immutabiles et aeterni, supremum est omnis pulchritudinis principium.

(1) De Musica, lib. VI, c. XII, t. I, col. 1181, 1182

(2) Ibidem, col. 1182, 1183.

Augustiniana de *numeris* ratione nunc exposita, iam nullus est qui inter eam doctrinam et Pythagoream philosophiam maximam esse affinitatem non videat. Itaque *numerorum* apud Augustinum naturam ex Pythagoreorum philosophia saltem ex parte depromptam fuisse merito affirmare possumus.

Quid ? illuc referuntur haec verba quae Augustino, postquam is *numerorum* doctrinam exposuerat, Alypius amicus dixit : « Nobis nonne illa « venerabilis ac prope divina, quae iure et ha- « bita est et probata Pythagorae disciplina, a te « hodie nostris etiam pene oculis reserata « est » (1) ?

Sane quidem Pythagorei mathematicis scientiis, potissimum studuerunt ; attamen, si Aristoteli fidem facimus, pulchritudinis notitiam ex doctrina non excluserunt (2).

Pythagorei ordinem, proportionem mensuramque leges esse universas docuerunt. Ii tamen, licet ad musicam perficiendam magno fuerint adiumento, *pulchri* principiis proprie non studuerunt.

Pulchritudinis quidem notitia, utpote quae ordinem, harmoniam, proportionemque comprehendat, a Pythagorea doctrina aliena non est, quin etiam in eam penitus transit, sed cum mathematicis scientiis aut physicis permixte implicatur (3).

Ea vero de Pythagorea philosophia suam de

(1) De Ordine, lib. II, c. xx, col. 1020, t. I.
(2) Chaignet, p. 211.
(3) Ibidem, p. 212, 213.

pulchritudine doctrinam multi deinceps philosophi deduxerunt.

Sic Plato *numerum* « Ἰδέαν » nominavit (1). Revera *Ideae* Platonis, qui Pythagoream doctrinam edidicerat, cum ipsa *numerorum* ratione cohaerebant. Quod iure et merito dici posse sentimus, praesertim cum ipse Plato *Universum numero a Deo ordinatum esse* (2) alicubi affirmet.

Illis cum Platonis *Ideis* Augustiniani *numeri* artam cognationem habent. Videntur enim *numeri* in Augustiniana philosophia et nominatim in pulchritudinis ratione vices implere easdem atque *Ideae* vel *formae* in Platonis doctrina. Iam enim notum est *Ideas* apud Platonem aeterna esse exemplaria, secundum quae Deus omnia condiderit, iisdemque cum specie cuique propria pulchritudinem largitus fuerit. Quo fit ut res eo magis ad pulchritudinem accedant quo sint *Ideis* aeternis propinquiores, vel cum eis maiorem habeant coniunctionem.

Laudem igitur non parvam meruit Augustinus, qui ex Pythagoreorum *numeris* atque ex Platonis *Ideis pulchri* notitiam excusserit, eamque enucleaverit, atque explanaverit.

(1) Ibidem.
(2) Le Timée, Platon.

CAPUT III.

DE VARIIS PULCHRI SIGNIFICATIONIBUS VEL FORMIS. — QUOMODO IN EIS PATEANT MEMORATAE PULCHRITUDINIS NOTAE, NUMERORUM SIGNA ?

Iam, ex Augustini operibus quibusnam modis *pulchrum* pateat, et quomodo in eis fulgeant commemoratae pulchritudinis notae, *numerorum* signa, exponendum habemus.

Diversi quidem sunt generis eae pulchritudinis formae quae in variis Augustini operibus descriptae passim reperiuntur. Etenim modo loquitur de « *universitatis* » pulchritudine; modo pulchris de corporibus sermonem habet; hic, « *motus vitalis* » et inprimis animae pulchritudinem depingit ; illic, de pulchris operibus, quae ab homine efficiuntur, disserit ; alias virtutis gratiam et pulchritudinem laudat ; tandem usque ad pulchrum supremum provehitur, ad summam aeternamque Dei pulchritudinem, cuius imaginem perfectam in *Verbo* contemplatur.

Quocumque te verteris, et qualemcumque *pulchri* formam fueris intuitus, eam esse *numerosam* vel *numeris* splendescere senties. Audi haec verba Augustini praeclara : « Intuere caelum et terram « et mare, et quaecumque in eis vel desuper « fulgent, vel deorsum repunt, vel volant, vel na-

« tant; formas habent, quia *numeros* habent :
« adime illis haec, nihil erunt. A quo ergo sunt,
« nisi a quo *numerus*; quando quidem in tantum
« illis est esse, in quantum *numerosa* esse ? Et
« omnium quidem formarum corporearum arti-
« fices homines in arte habent *numeros*, quibus
« coaptant opera sua : et tamdiu manus atque
« instrumenta in fabricando movent, donec illud
« quod formatur foris, ad eam quae intus est lu-
« cem *numerorum* relatum, quantum potest im-
« petret absolutionem, placeatque per inter-
« pretem sensum interno iudici supernos *nume-*
« *ros* intuenti. Quaere deinde artificis ipsius mem-
« bra quis moveat, *numerus* erit: nam moventur
« etiam illa *numerose*. Et si detrahas de manibus
« opus, et de animo intentionem fabricandi, mo-
« tusque ille membrorum ad delectationem refe-
« ratur, saltatio vocabitur. Quaere ergo quid in
« saltatione delectet; respondebit tibi *numerus* :
« ecce sum. Inspice iam pulchritudinem formati
« corporis; *numeri* tenentur in loco. Inspice
« pulchritudinem mobilitatis in corpore, *numeri*
« versantur in tempore. Intra ad artem unde isti
« procedunt, quaere in ea tempus et locum;
« nunquam erit, nusquam erit, vivit in ea tamen
« *numerus* : nec eius regio spatiorum est, nec
« aetas dierum; et discendae arti tamen cum se
« accommodant, qui se artifices fieri volunt, cor-
« pus suum per loca et tempora movent, animum
« vero per tempora : accessu quippe temporis
« peritiores fiunt. Transcende ergo et animum
« artificis, ut *numerum* sempiternum videas;
« iam tibi sapientia de ipsa interiore sede

« fulgebit, et de ipso secretario veritatis (1). »

Haec verba breviter et mirabiliter ostendunt quomodo apud Augustinum variae pulchri formae ex *numeris* pendeant. Quas formas nunc, duce Augustino, describendas habemus.

« *Universitatis* » pulchritudo prima occurrit. Ea autem « *universi* » pulchritudo ab « *uno* » cognominatur : « Ita enim animus sibi redditus ; « quae sit pulchritudo *universitatis* intelligit, « quae profecto ab *uno* cognominata est (2). »

Haec igitur « *ordine* », secundum quem disponitur quidquid est in « *universo* », maxime constat : « Id enim (Deus) iudicavit esse *pulcherrimum*, « ut esset, quidquid est, quomodo est ; et ita na- « turae gradibus *ordinaretur*, ut considerantes « *universitatem* nulla offenderet ex ulla parte de- « formitas ; omnisque animae poena et omne « praemium conferret semper aliquid propor- « tione iustae pulchritudini dispositionique re- « rum omnium » (3).

Ordo autem *unitate* et *numeris*, in terra, et in aqua, in aere, et in caelo, maxime apparet. Ipsum autem audiamus Augustinum. Qui primum terram ita depingit : « Quae primo generalem spe- « ciem corporis habet, in qua *unitas* quaedam et « *numeri* et *ordo* esse convincitur. Quid porro ? « ipsa species qua item a caeteris elementis terra « discernitur, nonne et *unum* aliquid quantum « accepit, ostentat ; et nulla pars eius a toto est

(1) De Libero Arbitrio, lib. II, c. XVI, t. I, col. 1263, 1264.
(2) De ordine, lib. I, c. II, t. I, col. 979.
(3) De quantitate animae, c. XXXVI, t. I, col. 1079.

« dissimilis, et earumdem partium connexione « atque concordia suo genere saluberrimam se« dem infimam tenet (1)? »

In *aqua* maior est etiam pulchritudo, quia maior est *unitas*, et *similitudo partium*, atque *ordo*. « Cui (terrae) superfunditur aquarum natura, « nitens et ipsa ad *unitatem*, speciosior et perlu« cidior propter maiorem *similitudinem partium*, « et custodiens locum *ordinis* et salutis suae (2). »

Clarior est etiam in « *aere* » *unitas*, ideoque *pulchritudo*: « Quid de *aeris* natura dicam, multo « faciliore complexu ad *unitatem* nitente, et « tanto *speciosiore* aquis, quam illae terris sunt, « tantoque superiore ad salutem (3)? »

Fulget in *caelo* clarissima *pulchritudo* propter maximam *unitatem*: « Quid de *caeli* supremo « ambitu, quo tota *universitas* visibilium corpo« rum terminatur, et summa in hoc genere *spe*« *cies* ac saluberrima loci excellentia (4)? »

Ex quo sequitur omnia in « *universo* » esse cum « *mensura* », et « *numero* », variosque in *pulchro* existere gradus, ita ut quaeque res etiam infimae suam habere possint *pulchritudinem*: « Illa *pulchritudo* (universitatis) venit ex eo quod « Deus disposuit omnia in *mensura* et *numero*, « et *pondere*. Quid ergo mirum si in tam magna « *universitate* naturae est aliquid infimum bonum « in ordinibus temporum, quod non permansione

(1) De Musica, lib. VI, c. XVII, t. I, col. 1191.
(2) Ibidem, col. 1192.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem.

« rerum, sicut nonnulla sublimia spiritualia, sed « pro decore sui generis, imo atque terreno « exortu occasuque sit pulchrum » (1)?

Ea est *universi* pulchritudo, ut, etiam si in rerum *universitate*, aliqua sint turpia vel deformia, *universum* tamen ipsum nulla foeditate maculetur : « Nulla itaque foeditate *universa* creatura « maculari permittitur » (2).

Quid? rerum inferiorum corruptio atque interitus aliquod infimum *pulchri* genus constituunt, nedum *universi* pulchritudinem perturbent: « Fit autem decedentibus et succedentibus rebus « temporalis quaedam in suo genere pulchri- « tudo, ut, nec ipsa, quae moriuntur, vel quod « erant esse desinunt, turpent aut turbent modum « et speciem et ordinem *universae* creaturae » (3).

Unde vero illud pulchrum? ex unitate in varietate, nempe ex unitate quae rerum mobilium seriem complectitur; ex rhythmo vel *numero*, id est, ex lege secundum quam rerum quae transeunt et moventur motus ordinantur. Ita pulchrum est genus humanum, cum homines moriantur; ita cuiuslibet hominis vita, propter variarum aetatum seriem, pulchra est (4).

Quam sententiam Noster confirmat ex *sermone* cuius *unitas in varietate*, ideoque pulchri-

(1) Contra adversarium legis et prophetarum, lib. I, c. vi, t. VIII, col. 607.

(2) De vera Religione, c. xli, t. III, col. 157.

(3) De natura boni contra Manichaeos, c. viii, t. VIII, col. 554.

(4) De diversis quaestionibus. — Quaestio 44, t. VI col. 28.

tudo ex praetereuntium verborum decessione ac successione oritur : « Nam et species vocis « emissae praeterit, et silentio perimitur, et tamen « sermo noster ex praetereuntium verborum de- « cessione ac successione peragitur, et mode- « ratis silentiorum intervallis decenter suavi- « terque distinguitur : ita sese habet etiam tem- « poralium naturarum infima *pulchritudo*, ut « rerum transitu peragatur, et distinguatur morte « nascentium. Cuius *pulchritudinis* ordinem et « modos si posset capere sensus noster atque « memoria, ita nobis placeret, ut defectus qui- « bus distinguitur, nec corruptiones vocare aude- « remus » (1).

Deformia etiam ad pulchritudinem *universi* aliquid conferunt, eo quod *varietatem*, *ordinem*que statuunt, dum efficitur ut suum locum ita obtineant, atque collustrentur *pulchra*, quae alioqui sua in luce non ponerentur : « Nonne « in corporibus animantium quaedam mem- « bra si sola attendas, non possis attendere? « Attamen ea, naturae ordo, nec, quia necessa- « ria sunt, deesse voluit ; nec, quia indecora, « eminere permisit. Quae tamen deformia suos « locos tenendo, meliorem locum concessere « melioribus. Talia, credo, sunt omnia... Sub- « missa quaedam impolitaeque simillima ipsos « saltus ac venustos locos sese interponens il- « lustrat oratio. Quae si *sola* sit, proicis ut vilem ; « si autem desit, illa *pulchra* non prominent, non « in suis quasi regionibus possessionibusque

(1) Contra epistolam Manichaei, c. XLI, t. VIII, col. 205.

« dominantur, sibique ipsa propria luce obstant, « totumque confundunt » (1).

Sequitur *universitatis* pulchritudinem unitate in varietate, atque ordine, uno verbo *numeris* vel rhythmo constare.

In rerum vero universitate *corporea* pulchritudo infimum locum occupat.

Haec pulchritudo quare et infima ? « Quia, in« quit Augustinus, rapitur in ordinem succes« sionis. Nam ideo extrema est, quia simul non « potest habere omnia ; sed dum alia cedunt « atque succedunt, alia temporalium formarum « *numerum* in unam pulchritudinem com« plent » (2).

Quam tamen esse veram pulchritudinem ita nos docet : « Corpus in suo genere, quamvis extre« mam, *pulchritudinem* sine ullo errore monstra« bit » (3).

Undenam vero illa corporum pulchritudo ? ex *unitate* quam sane nec ullum corpus perfecte attingit, cuius tamen vestigia continet : « Quaeram « ergo deinceps quare sint *pulchra* (corpora) ; « et, si titubat artifex, subiciam, utrum ideo quia « similes sibi partes sunt, et aliqua copulatione « ad unam convenientiam rediguntur. Quod cum « ita esse compererit, interrogabo utrum hanc ip« sam *unitatem*, quam convincuntur appetere « summe impleant, an longe infra iaceant. Nam « quis admonitus non videat, neque ullam spe-

(1) De Ordine, lib. II, c. IV, col. 1000 et 1001.
(2) De vera Religione, c. XXI, t. III, col. 139 et 140.
(3) Ibidem.

« ciem, neque ullum omnino esse corpus quod « non habeat *unitatis* qualecumque vestigium ; « neque quantumvis pulcherrimum corpus, posse « assequi eam quam sequitur *unitatem* » (1).

« Et tamen nec corpus ipsum esset, nisi utcum- « que *unum* esset » (2).

Oritur etiam corporis pulchritudo ex *partium* « *congruentia* » et « *quadam coloris suavitate* » : « Quid laudant in corpore ? nihil aliud video « quam pulchritudinem. Quid est corporis pul- « chritudo ? *congruentia partium* cum quadam « *coloris suavitate* » (3).

Verumtamen non mole constat, sed « *membro-* « *rum similitudine*, vel « *quadam aequalitate* » (4).

Ita consideratis pulchris corporibus, Augustinus *vitae* pulchritudini magnam partem tribuit. Praecipue vero pulchritudinis efficiens est *vita*, quippe quae *motus numerosi*, *unitatis ordinisque* in animantibus sit principium : « Verminculi laudem sine ullo mendacio copiose possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, et unitatis appetentiam pro suae naturae humilitate servantia, nihil ex una parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid iam de *anima* ipsa (aut vita) dicam vegetante nodulum corporis sui, quomodo eum *numerose moveat*, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat

(1) Ibidem, c. xxxii, col. 148.
(2) Ibidem, c. xxxiv, col. 150.
(3) Epistola : Nebridio Augustinus, t. II, col. 65.
(4) De Musica, lib. VI, c. xvii, t. I, p. 174 et 175.

obsistentia quantum potest, et ad unum sensum incolumitatis referens omnia, *unitatem* illam conditricem naturarum omnium, multo evidentius quam corpus insinuet: loquor de vermiculo animante qualicumque... Quid ergo mirum est si hominis *animam* quae, ubicumque sit, et qualiscumque sit, omni corpore est melior, dicam pulchre *ordinari* » (1) ?

Sic animantium pulchritudo magis constituitur *vita* quam ipsa *forma*, eo quod pulchra animantium forma, nempe *corporis partium congruentia*, vel unitas in partium varietate, *motu vitali* vel *vita* ipsa generatur.

Sed vitae lex est *numerus*, quippe qui eam ordinet. Igitur *numerus* animantium pulchritudinem generat.

Praeterea, quod recentiores philosophi maximum esse pulchritudinis signum aut effectum profitentur, amoris videlicet *affectum* vel voluntatis inclinationem qua in res pulchras irruimus, Augustinus ipse iam indicabat. Ideo animalia, non adeo propter formam ipsam, sed quia variis *affectibus*, haud secus atque homines, ducuntur, pulchra nobis videntur.

Atqui *vita* in animantibus parit *affectus* quorum alii nos vehementer alliciunt, alii nobis repugnant. Igitur pulchritudo in animantibus ex vi intima, id est *numero vitali*, magis quam ex corporis forma oritur.

Animalia, etiamsi perfectâ praedita sint formâ, si nobis propter *affectus* sunt odiosa, non possunt

(1) De vera Religione, c. XLI, t. III, col. 157.

amari, neque etiam possunt nobis videri *pulchra*. Quae contra, licet forma pulchritudine careat, si tamen propter *affectus* nobis *placent*, statim amantur et *pulchra* habentur : « Non tamen in eo (animali) plus placet forma quae movetur quam *vita* quae movet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentius : si oderit autem, succensemus, et ferre non possumus, etiamsi formam ipsam (pulchram) praebeat fruenti » (1).

Ceterum *vitae species*, utpote *intelligibilis*, ut cum Augustino loquamur, corporum specie quae sub sensus cadit superior est. Etenim Noster platonicam opinionem, quam suam facit, his refert verbis :

« Consideraverunt (Platonici), quidquid est, vel corpus esse, vel vitam, meliusque aliquid *vitam* esse quam corpus; speciemque corporis esse sensibilem, *intelligibilem* vitae. Proinde *intelligibilem* speciem sensibili praetulerunt » (2).

Praeterea *intelligibilis species*, eo quod *totum* atque eo ipso unitatem, magis quam corporea forma, constituit, huic pulchritudine praestat :

« In hoc enim sensibili mundo vehementer considerandum est quid sit tempus et locus ; ut, quod delectat in parte, sive loci, sive temporis, intelligatur tamen multo esse melius *totum*, cuius illa pars est : in illo vero mundo intelligibili, quamlibet partem, tanquam *totum*, pulchram esse atque perfectam » (3).

(1) De vera Religione, c. XL, t. III, col. 155.
(2) De Civitate Dei, lib. VIII, c. VI, t. VII, col. 231.
(3) De Ordine, lib. II, c. XIX, t. I, col. 1019.

Anima igitur, ut quae sit *vitae* principium, corpore pulchrior est (1).

In animo autem humano est mens quam Augustinus sic effert : « Quis dubitet ubi vera est « (pulchritudo), esse meliorem ? Ubi ergo vera « est ? in animo scilicet. Animus igitur magis « amandus est quam corpus. Sed in qua parte « animi ista est veritas ? in *mente* atque intelli« gentia » (2).

Inde fit pulchritudo artium ingenuarum de quibus infra sermonem peculiarem habebimus.

Verum in animo, praeter « *intelligibile* » pulchrum, alia est pulchritudo quae *numeris* etiam constat, quamque Augustinus maxime extollit. Haec est pulchritudo quae ad mores pertinet, quae virtute, iustitia videlicet aut sapientia innititur : « Quid est autem aliud iustitia, cum in « nobis est, vel quaelibet virtus qua recte sapien« terque vivitur, quam interioris hominis pul« chritudo ? Et certe secundum hanc pulchritu« dinem, magis quam secundum corpus, facti « sumus ad imaginem Dei » (3).

Alibi : « Diligite iustitiam : habet pulchritudi« nem suam » (4). — « Totum autem quod pulchrum est in anima, virtus et sapientia est » (5).

Qua de causa Augustinus ita virtutis pulchritudinem extollat, in aperto est cognoscere. Virtus enim, iustitia aut sapientia, ne ceteras nomi-

(1) De vera Religione, c. XLI, t. III, col. 157.
(2) Epistola : Nebridio Augustinus, t. II, col. 65.
(3) Epistola : Consentio Augustinus, t. II, col. 462.
(4) Sermo IX : De Decem Chordis, c. X, t. V, col. 87.
(5) Enarratio in psalmum 58, t. IV, col. 704.

nemus, nonne mirandum in homine erga Deum et creaturas *ordinem* ponit? Igitur virtus concordiam aut convenientiam, aequalitatem et unitatem, pulchritudinis notas, legemque secundum quam homo ad Deum ordinatur, *numerum* videlicet, instituit.

Hic autem notandum est illam Augustini sententiam cum Platonica doctrina consentire. Plato enim, ut qui ex variarum animi facultatum *concordia* nasci iustitiam doceret, eo ipso virtutis, iustitiae atque sapientiae *pulchritudinem* summopere commendabat.

Stoïci philosophi *pulchros* non esse nisi solos virtute praeditos, id est *sapientes*, affirmabant. Nempe pulchritudinem hominis constare recta eius ratione, vel eius vitae *concordia* cum lege divina, videlicet *sapientia*, arbitrabantur.

In hoc vero illi philosophi secum pugnabant, quod ex sensibus oriri, quidquid esset cognitum, docebant. Etenim, quomodo illi pure *intelligibilem* sapientiae formam aut pulchritudinem oculorum sensu intuerentur, difficile est intellectu.

Quare Augustinus scripsit : « Ubi ego multum « mirari soleo, cum *pulchros* dicant (Stoïci) non « esse nisi *sapientes*, quibus sensibus istam pul- « chritudinem viderint, qualibus oculis carnis « formam *sapientiae* decusque conspexerint » (1).

Illam *virtutis pulchritudinem* Augustinus in Christo Dei Filio maxime admiratur. Quam tamen, ut quae ad Christianam religionem perti-

(1) De Civitate Dei, lib. VIII, c. VII, t. VII, col. 232.

neat, tantum suam post conversionem ad Christum agnovit.

Tantam autem Christi pulchritudinem, Augustinus nos docet, ex divinitate oriri, eamque, eo quod sit Deus ipse Christus, perfectam esse, quamvis tamen nostris oculis fuerit velata propter corpus quod *Verbum* suscepisset :

« Nobis ergo iam credentibus ubique sponsus « (Christus) pulcher occurrat, pulcher Deus, Verbum apud Deum ; pulcher in utero Virginis, « ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humani- « tatem : pulcher natus infans Verbum, quia et « cum esset infans, cum sugeret, cum manibus « portaretur, caeli locuti sunt, Angeli laudes « dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in « praesepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo « in caelo, pulcher in terra, pulcher in utero, pul- « cher in manibus parentum, pulcher in miraculis, « pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, « pulcher non curans mortem, pulcher deponens « animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, « pulcher in sepulchro, pulcher in caelo » (1).

Undenam vero tanta Christi pulchritudo ? Ex unione in Christo divinitatis et humanitatis : « intelligentibus autem, *Et Verbum caro factum est* (2), magna pulchritudo est » (3). Ea unio *ordinem* inter Deum et homines, et rhythmum ingentem vel *numeros* praeclaros quibus ad Deum creatorem numerorumque fontem omnium homines religantur, eximie instauravit.

(1) Enarratio in psalmum 44, t. IV, col. 495.
(2) Joannes, I, 14.
(3) Enarratio in psalmum 44, col. 495, t. IV.

Tandem duce Augustino ipsum *Pulchrum supremum*, ipsam Pulchritudinem perfectam intueamur.

Finitas atque mutabiles superans omnes pulchritudines, regnat Deus omnis pulchritudinis principium, ipsa *Pulchritudo* suprema.

« At ego, Deus meus, et decus meum, etiam « hinc dico tibi hymnum, et sacrifico laudem sa- « crificatori meo ; quoniam pulchra traiecta per « animas in manus artificiosas ab illa pulchri- « tudine veniunt, quae super animas est, cui « suspirat anima mea die ac nocte » (1).

Ita donum est Dei *corporis pulchritudo* : « Quod « bonum (pulchritudo corporis) Dei quidem do- « num est » (2).

Ex Deo venit ipsa *animae pulchritudo* : « Cum « autem (anima) se composuerit et ordinaverit, « ac concinnam pulchramque reddiderit, aude- « bit iam Deum videre... pulchritudinem supre- « mam cuius imitatione pulchra sunt omnia » (3).

Quid? ex Deo etiam oriuntur aeterni *numeri* quibus fundatur pulchritudo : « Magister. Unde « ergo credendum est animae tribui quod aeter- « num est et incommutabile (videlicet numeri), « nisi ab uno aeterno et incommutabili Deo? — « Discipulus. Non video quid aliud credi opor- « teat » (4).

Deus, ad summum, ipsa est suprema pulchritudo immutabilis et aeterna. In quo perfecte

(1) Confess., lib. X, c. xxxiv, t. I, col. 801.
(2) De Civitate Dei, lib. XV, c. xxii, t. VII, col. 467.
(3) De Ordine, lib. II, c. xix, t. I, col. 1019.
(4) De Musica, lib. VI, c. xii, t. I, col. 1183.

splendent omnes pulchritudinis notae, unitas et varietas, aequalitas, proportio et ordo, vita et vis omnis efficiens pulchritudinis : « Ipse autem « ordinis *modus* (1) (vel numerorum principium) « vivit in veritate perpetua. Ipsum est unum prin- « cipale, nec per finitum, nec per infinitum cras- « sum ; nec per finitum, nec per infinitum mu- « tabile. Non enim habet aliud hic, aliud alibi ; « aut aliud nunc, aliud postea ; quia summe « unus est Pater veritatis, Pater suae sapientiae, « quae nulla ex parte dissimilis, similitudo eius « dicta est et imago, quia de ipso est. Itaque « etiam Filius recte dicitur ex ipso, caetera per « ipsum. Praecessit enim forma omnium summe « implens *unum* de quo est, ut caetera quae sunt, « in quantum sunt *uni* similia, per eam formam « fierent » (2).

(1) *Modus*, id est, mensura, lex, vel principium.

(2) De vera Religione, c. XLIII, t. III, col. 159. — De Civitate Dei, lib. XII, 2-18.

CAPUT IV.

DE INGENUIS ARTIBUS APUD AUGUSTINUM.

Inter varias pulchritudinis formas pulchrum quod ex intellegentiae operibus oritur, seu artium ingenuarum pulchritudo, praecipuam sedem occupat. Quare proprius locus hic *artibus ingenuis* tribuitur.

Augustini de *pulchro* doctrina non perfecte cognoscetur, nisi cum de iis artibus quid senserit, inspexerimus. Igitur de artibus ingenuis Nostri sententia nunc inquirenda est. Has autem notiones, sane, sicut reliquam eiusdem doctrinam, variis in eius operibus dispersas, diligenter quasi in unum corpus compingemus.

Ac primum hoc studium non est parvi momenti; nam Augustini ingenuis de artibus doctrina, non tantum, quidquid de eodem argumento Plato, Aristoteles, et Plotinus recte scripserunt, complectitur ; sed etiam laudatorum philosophorum opiniones perficit atque absolvit.

Iam, ut nostrum aggrediamur propositum, quid Augustinus de origine et natura *artis* docuerit, videbimus.

Primum, quidnam hoc verbum *ars* significat? « Ars quippe ipsa, inquit, bene recteque vivendi,

« *virtus* a veteribus definita est. Unde ab eo quod « graece ἀρετή dicitur *virtus*, nomen *artis* Lati- « nos traduxisse putaverunt » (1).

Animadvertendum est, hanc *artis* definitionem, quam Augustinus dicit fuisse a veteribus traditam, eandem esse atque illam, quam a Platone datam commemoravimus.

Plato enim in numero nugarum ponebat artes quae ad *pulchrum* unice spectant. Apud illum, *ars* vera ea est quae mensura, proportione, rerum et praecipue actionum convenientia constet, atque ad reipublicae utilitatem aliquid conferat. Unde sequitur veros artifices eos esse qui ad iusti normam suos mores componant, quique bene et recte vivant.

Eadem via, Augustinus, secundum vocis interpretationem, ex verbo ἀρετή oriri nomen *artis* asseverat.

Artis autem natura, apud Nostrum, pulchri principio, id est, *numeris* constituitur, itaque iisdem fulget notis supra memoratis, in primis unitate, aequalitate vel partium similitudine, convenientia vel proportione :

« Sed cum in omnibus *artibus* convenientia « placeat, qua una salva et pulchra sunt omnia ; « ipsa vero convenientia aequalitatem unitatem- « que appetat, vel similitudinem parium partium, « vel gradationem disparium » (2).

Quae fulgent notae omnibus in *artibus*. Et primo in pulchra structura architecti, « qui tam

(1) De Civitate Dei, lib. IV, c. xxi, t. VII, col. 128.
(2) De vera Religione, c. xxx, t. III, col. 146.

« eleganter aedificat, ut quae plura sunt, paria « paribus respondeant; quae autem singula, me« dium locum teneant ; qui, duabus fenestris non « super invicem, sed iuxta invicem locatis, curat, « ut una earum non maior minorve sit, sed con« tra ut ambae sint aequales; qui, tribus fenes« tris perforatis, providet, ut aut impares non « sint, aut inter maximam et minimam ita sit « media, ut tanto praecedat minorem, quanto a « maiore praeceditur » (1).

Illae manifestae sunt notae in poesi :

« Et quia in ipsis verbis brevitates et longitu« dines syllabarum prope aequali multitudine « sparsas in oratione attendere facile fuit, tenta« vit pedes illos in ordines certos disponere « atque coniungere ; et in eo primo sensum ipsum « secuta, moderatos impressit articulos, quae et « caesa et membra nominavit. Et ne longius « pedum cursus provolveretur, quam eius iudi« cium posset sustinere, modum statuit unde « reverteretur, et ab eo ipso versum vocavit. Quod « autem non esset certo fine moderatum, sed ta« men rationabiliter ordinatis pedibus curreret, « *rhythmi* nomine notavit : qui latine nihil aliud « quam *numerus* dici potuit. Sic ab ea poetae « geniti sunt » (2).

Dein Augustinus musicae pulchritudinem praecipue laudat. Ille enim in rhythmis atque in modulatione regnare *numeros*, eosque divinos et aeternos rationi apparere dicit : « Sive in rhyth-

(1) De vera Religione, c. xxx, t. III, col. 146-147.
(2) De Ordine, lib. II, c. xiv, col. 1013 et 1014.

« mis, sive in ipsa modulatione (ratio) intelligebat « regnare *numeros*, totumque perficere : inspexit « diligentissime cuiusmodi essent ; reperiebat « divinos et sempiternos » (1).

Noster de rhythmo sex libros scripsit : « Con- « scripsi de solo rhythmo sex libros et de melo « scribere alios forsitan sex, fateor, dispone- « bam » (2).

Illud « *futurum otium* » (3), in quo spem ponebat, fortasse defuit. Etenim de « *melo* » nullum in Augustini operibus scriptum reperitur. Solummodo de *rhythmo* vel *numero* sub titulo : de « Musica » sex libri ad nos usque pervenerunt.

Augustinus in iis libris metrum et rhythmum describit, *numerumque* vel *rhythmum* unitate et varietate, aequalitate et proportione constitui docet.

Nam *numerum* explanat in variis generibus versuum quorum naturam pede, rhythmo metroque, numerosis et pulchris mensuris, constare asserit, ita ut ii « de musica » sex libri ad rem metricam maxime referri possint.

Musica ea est disciplina, quae, quidquid est in vocibus « numerosum et artificiosum », continet :

« Nonne censes esse aliquam disciplinam quae « quicquid in huiusmodi sit vocibus numerosum « artificiosumque contineat? — D. Probabile mihi « videtur. — M. Haec est, nisi fallor, illa quae « *musica* nominatur » (4).

(1) De Ordine, lib. II, c. XIV, col. 1013 et 1014.
(2) Epistola : Memorio episcopo Augustinus, t. II, col. 369.
(3) Ibidem.
(4) De Musica, lib. I, c. I, p. 134.

Igitur Noster musicam ita definit : « Musica est « scientia bene modulandi (1)..., — nempe modu- « landi *numerosis* temporum dimensionibus » (2).

Quas *dimensiones* in variis versuum generibus et elementis, pede, rhythmo, metro, Augustinus quatuor libris fuse explicat. Quem iis in studiis non sequemur.

Ceteroqui in sexto et ultimo libro Augustinus quae in prioribus libris scripsit, breviter contrahens, affirmat cum *rhythmum*, tum metrum et versum quadam constitui aequalitate quae mentem delectet : « Quid est quod in sensibili numerositate diligimus ? Num aliquid praeter parilitatem quamdam et aequaliter dimensa intervalla?... Age in coniunctis pedibus, sive libera perpetuitate porrigatur ista coniunctio, sicut in *rhythmis* ; sive ab aliquo certo fine revocetur, sicut in metris : sive etiam in duo membra quadam lege sibimet congruentia tribuatur, sicut in versibus, qua tandem alia re, nisi aequalitate pes pedi amicus est » (3) ?

Quae aequalitas ut obtineatur, non tantum syllabae breves aut longae, sed etiam *silentiorum intervalla* sunt numeranda : « Cur in silentiorum intervallis nulla fraude sensus offenditur, nisi quia eidem iuri aequalitatis, etiamsi non sono, spatio tamen temporis, quod debetur, exsolvitur ?... Cur sequente silentio, etiam brevis syllaba pro longa accipitur, non instituto, sed ipso

(1) De Musica, lib. I, c. II.
(2) Ibidem, c. III, et sequent.
(3) Ibidem, lib. VI, c. X, t. I, p. 169. — Edit. Parisiis, 1614.

naturali examine, quod auribus praesidet, nisi quia in spatio temporis longiorem sonum coarctare in angustias eadem illa aequalitatis lege prohibemur » (1) ?

Augustinus mentem suam, quare de *numero* vel *rhythmo* scripserit, aperiens : « Sex libros » inquit, de musica scripsi, quorum ipse sextus maxime innotuit, quoniam res in eo digna cognitione versatur, quomodo a corporalibus et spiritalibus, sed mutabilibus *numeris* perveniatur ad immutabiles *numeros* qui iam sunt in ipsa immutabili veritate, et sic *invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciantur* » (2).

Quare ex *numeris* ingenuarum artium mutabilibus ad *numeros* usque immutabiles ascendit :

« Si ergo quaeramus artem istam rhythmicam « vel metricam, qua utuntur qui versus faciunt, « putasne habere aliquos *numeros*, secundum « quos fabricant versus ? — D. Nihil aliud possum « existimare. — M. Quicumque isti sunt *numeri*, « praeterire tibi videntur cum versibus, an ma- « nere ? — D. Manere sane. — M. Consentien- « dum est ergo, ab aliquibus manentibus *nume-* « *ris* praeteruntes aliquos fabricari ? — D. Cogit « me ratio consentire. — M. Quid ? hanc artem « num aliud putas quam affectionem quamdam « esse animi artificis ? — D. Ita credo. — M. Age « nunc, dic mihi utrum hi *numeri* de quibus sic « quaeritur, commutabiles esse tibi videantur ? « — D. Nullo modo. — M. Ergo aeternos esse non

(1) De Musica, lib. VI, c. x, t. I, p. 169-170.
(2) Ibidem, lib. I, p. 133.

« negas. — D. Imo fateor. — M. Unde ergo cre-
« dendum est animae tribui quod aeternum est
« et incommutabile, nisi ab uno aeterno et incom-
« mutabili Deo » (1) ?

Nobis videtur ingenuis in artibus ab Augustino diserte agnosci duplicem pulchritudinem, unam corpoream quae *numeris « corporalibus »* constet et sensibus placeat ; alteram « *intelligibilem* » quae « *rationis numeris* » constituatur et animum delectet :

« Et cum omnia quae sensibiliter pulchra sunt,
« sive natura edita, sive artibus elaborata, locis
« et temporibus sint pulchra, ut corpus et cor-
« poris motus, illa aequalitas et unitas menti
« tantummodo cognita, secundum quam de cor-
« porea pulchritudine sensu internuntio iudica-
« tur, nec loco tumida est, nec instabilis tem-
« pore » (2).

Quod Noster illustrat exemplis, primo *saltatione* : « Histrione saltante, cum bene spectantibus
« gestus illi omnes signa sint rerum, quamvis
« membrorum numerosus quidem motus oculos
« eadem illa dimensione delectet, dicitur tamen
« *rationalis* illa saltatio, quod bene *aliquid signi-*
« *ficet* et ostendat, excepta sensuum voluptate » (3).
Et alibi : « Aliud ergo sensus, aliud per sen-
« sum : nam *sensum* mulcet *pulcher motus* ; per
« sensum autem *animum solum* pulchra in motu
« *significatio* » (4).

(1) De Musica, lib. VI, c. XII, col. 1182-1183.
(2) De vera Religione, c. XXX, col. 146, t. III.
(3) De Ordine, lib. II, c. XI, t. I, col. 1011.
(4) Ibidem.

Idem etiam in *poesi* utramque pulchritudinem laudat :

« Hoc etiam in auribus facilius advertitur : « nam quidquid iucunde *sonat*, illud libet, atque « ipsum *auditum* illicit ; quod autem per eumdem « sonum bene *significatur*, nuntio quidem au- « rium, sed ad *solam mentem* refertur. Itaque « cum audimus illos versus :

Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet (1)?

« aliter metra laudamus, aliterque sententiam : « nec sub eodem intellectu dicimus : *rationabili-* « *ter sonat*, et, *rationabiliter dictum est* » (2).

Laudata ex utraque pulchritudine ea maior est quae intellegentiam delectat. Haec enim firmior et stabilior invenitur. Quod Noster praesertim ex musica ostendit : « Et iam tolerabat aegerrime splendorem illorum (numerorum) atque serenitatem corporea vocum materia decolorari... illud quod mens videt, semper est praesens, et immortale approbatur, cuius generis *numeri* apparebant ; sonus autem quia sensibilis res est, praeterfluit in praeteritum tempus » (3).

Verum, non solis *pulchri* elementis *ars* constituitur ; nam quomodo *ars* a *pulchro* distinguatur, si nihil addas, nemo plane videt. Quare necessaria sunt alia elementa quae ad *artem* pertineant. Ac primum ponatur *imitatio* quam veteres philo-

(1) Virg. Georg., lib. II, v. 480-481.
(2) De Ordine, lib. II, c. xi, t. I, col. 1011.
(3) Ibidem, c. xiv, t. I, col. 1014.

sophi, ut fundamentum *artis* iam exegerunt.

Sed ad *artem* constituendam satisne valet *imitatio?* Minime; alioqui in animalibus ipsis, quae aliquando motus videlicet aut sonos imitari queant, *ars* etiam inveniretur. Quamobrem non sola *imitatione* sed etiam addita *ratione*, qua non fruuntur animalia, *ars* constat. « Magister. Sed *ars* tibi « videtur ista esse dicenda, etiam si quadam *imi-* « *tatione* id faciunt? — Discipulus. Cur non? nam « video tantum valere in artibus *imitationem*, ut, « ea sublata, omnes pene perimantur. Praebent « enim se magistri ad imitandum, et hoc ipsum « est quod vocant docere. — M. Videtur tibi *ars* « ratio esse quaedam, et ii qui arte utuntur, ra- « tione uti : an aliter putas? — D. Videtur. — « M. Quisquis igitur *ratione* uti non potest *arte* « non utitur. — D. Et hoc concedo » (1).

Scientiam igitur aliquam artis natura exigit. Quapropter Augustinus docet *artem* in animo praecipue locum habere, in quo esse priusquam externis in rebus notetur : « Si enim, sicut qui- « dam disertissimi atque acutissimi viri videre « ac dicere potuerunt, ea quae velut oratoria « *arte* discuntur, non observarentur et notaren- « tur, et in hanc doctrinam non redigerentur, « nisi prius in oratorum invenirentur *ingeniis* » (2), necessario sequitur *artem* antea intus esse, et quasi naturaliter in *animo* insitam.

Propterea Noster, *artem*, etiam cum non exerceatur, esse in *animo*, eique, eo quod ipse vita

(1) De Musica, lib. I, c. IV, t. I, col. 1086.
(2) De doctrina Christiana, lib. IV, c. VII, t. III, col. 98.

fruatur, illam inhaerere affirmavit. Quin sic in animo esse quodammodo vitam sempiternam asseverat, eo quod *ars* ipsa, propter *numeros immutabiles*, quibus ipsa fundetur, vitam habeat aeternam.

Sic enim loquitur : « Si enim manet aliquid « immutabile in animo, quod sine vita esse non « possit, animo etiam vita simpiterna maneat « necesse est. Nam hoc prorsus ita se habet, ut « si primum est, sit secundum. Est autem pri« mum. Quis enim, ut alia omittam, aut *ratio« nem numerorum* mutabilem esse audeat dicere, « aut *artem* quamlibet non *ista ratione* constare; « aut *artem* non esse in artifice, etiam cum eam « non exercet ; aut eius esse, nisi in *animo*, aut « ubi *vita* non sit, esse posse ; aut, quod immu« tabile est, esse aliquando non posse, aut aliud « esse *artem*, aliud *rationem* ? Quamvis enim *ars* « una multarum quasi quidam coetus rationum « esse dicatur, tamen *ars* etiam *una ratio* dici « verissime atque intelligi potest. Sed sive hoc, « sive illud sit, non minus immutabilem *artem* « esse conficitur : *artem* autem non solum esse « in *animo* artificis, sed etiam nusquam esse nisi « in *animo* manifestum est, idque inseparabili« ter (1). »

Iam, ex loco supra laudato, quis neget Augustinum etiam in hoc argumento cum Plotino consentire ? Plotinus enim *artem* in *animo* praecipue ponebat.

Quid ? quemadmodum Plotinus, ille pulchrio-

(1) De immortalitate animae, c. IV, t. I, col. 1024.

rem esse in *animo* artificis, quam in operibus ab eo confectis, *artem* docet : « Prorsus noverat « (artifex) intus in *animo*, ubi *ars* ipsa pulchrior « est, quam illa quae arte fabricantur (1) ».

Nec obstat huic opinioni, quod artifex opus suum manufactum admiratur, et probat, quemadmodum Deus opus suum, ubi confecit, approbavit. Etenim, quia probat quod fecit, artifex ideo *artem* non ignorabat ; contra, eo quod ipse in *animo artem* prius agnovit, artifex eam postea in opere externo maximo cum gaudio contemplatur : « Miseri homines, quibus displicet, quod Deo « placuerunt opera sua, cum videant etiam homi- « nem artificem, v. g. lignarium fabrum, quam- « vis in comparatione sapientiae et potentiae Dei « pene nullus sit, tamen tamdiu lignum caedere « atque tractare dolando, asciando, planando, vel « tornando atque poliendo quousque ad *artis* « regulas perducatur, quantum potest, et placeat « artifici suo. Numquid ergo quia placet ei quod « fecit, ideo non noverat bonum ? Prorsus no- « verat intus in *animo*. Sed quod videt artifex « intus in arte, hoc foris probat in opere, et hoc « est perfectum quod artifici suo placet : *Vidit* « *ergo Deus lucem quia bona est :* quibus verbis « non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, « sed placuisse perfectum (2) ».

Nec magis obstat, cum *artem* esse in scipso *animus* non semper sentit. Quae res evenit vel

(1) De Genesi contra Manichaeos, lib. I, c. VIII, t. III, col. 179.
(2) Ibidem.

ignorantia vel oblivione ; alioqui, si *ars* non in *animo* esset, cum artifex ipsam invenit, aliquid sempiternum, immutabile generari ab *animo*, dicendum foret. Quod certe nemo dixerit. « Potest « igitur, inquit Augustinus, aliquid esse in *ani-* « *mo*, quod esse in se animus ipse non sentiat, « (v. g. per oblivionem). Sed cum vel nos ipsi « nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene inter- « rogati de quibusdam liberalibus *artibus*, ea « quae invenimus, non alibi quam in *animo* « nostro invenimus : neque id est invenire, quod « facere aut gignere ; alioquin aeterna gigneret « *animus* inventione temporali ; (nam aeterna « saepe invenit ; quid enim tam aeternum quam « circuli ratio, vel si quid aliud in huiuscemodi « *artibus*, nec non fuisse aliquando, nec non fore « comprehenditur ?) manifestum etiam est, im- « mortalem esse *animum* humanum, et omnes « veras *rationes* in secretis eius esse, quamvis « eas sive ignoratione, sive oblivione, aut non « habere aut amisisse videatur (1) ».

Memorata haec verba plane redolent platonicam philosophiam. Plato enim aeternas esse *Ideas* docebat, easque natura in animo insitas esse, etiamsi oblivione vel mentis evagatione in praesenti non sint cognitae.

Attamen in eo a Platone dissentit Augustinus, quod, dum Plato in vita superiore illas *Ideas* fuisse notas arbitratur, Augustinus hanc vitam superiorem reicit.

Dum *artem* esse in *animo*, eamque sempiter-

(1) De immortalitate animae, c. IV, t. I, col. 1024.

nam esse docet, manifestum est, de perfecta *artis* specie quae *ratiocinando indagatur*, non vero de *arte* quae in artificis operibus *notatur* sermonem esse : « neque nunc *artem* intelligi volo, quae « *notatur* experiendo, sed quae *ratiocinando inda-* « *gatur* (1) », vel de *ipsa artium lege*, id est, de *immutabili veritate* : « nam haec est illa incom- « mutabilis veritas, quae lex omnium artium « recte dicitur (2) ».

Ideo artifex, etiamsi suis in operibus rerum naturam imitatur, eam tamen in melius mutando potest perficere eique novum aliquid adicere.

Unde, quamvis Augustinus *creationem* tanquam summum *artis* complementum nominatim non indicet, eam tamen ex eius principiis licet deducere. Nonne enim, ut vidimus, meliorem in animo quam in rebus externis *artem* esse, *legem*que artium esse immutabilem, et sempiternam, atque eo ipso perfectiorem quam res externas docuit ? Certe quidem. Igitur artifex, cum iuxta hanc *legem* vel species aeternas rebus visibilibus perfectiores, suam *artem* exercet, sic opus quod naturalibus rebus longe praestet, efficere potest. Quae *creatio* « ποίησις » graece recte vocatur.

Lex autem ingenuarum artium, *numero* vel *rhythmo*, unitate immutabili, perfectaque aequalitate formatur (3). Atqui illa *lex* quae cum *pulchri* principio, id est, *numero*, perfecte congruit, et quae *artes* iudicandi facultatem praecipue

(1) De vera Religione, c. xxx, col. 146, t. III.
(2) Ibidem, c. xxxi, t. III, col. 147.
(3) Ibidem, c. xxx, col. 147.

constituit, undenam oritur? Unde venit illud ingenuarum artium subtile iudicium? Scientiane illud iudicium acquiritur ? Audi loquentem Augustinum: « Magister. Unde fieri putas, ut im-
« perita multitudo explodat saepe tibicinem nu-
« gatorios sonos efferentem, rursumque plaudat
« bene canenti, et prorsus quanto suavius cani-
« tur, tanto amplius et studiosius moveatur? Num-
« quidnam id a vulgo per artem musicam fieri
« credendum est? — Discipulus. Non. — M. Quid
« igitur? — D. *Natura* id fieri puto, quae omni-
« bus dedit sensum audiendi, quo ista *iudican-*
« *tur* (1) ».

Igitur primo a *natura*, non vero a scientia, inest animo subtile ingenuarum artium iudicium, aut illa *lex* qua ipse ingenuas artes iudicandi facultatem habet. Quae tamen facultas deinde scientia vel arte perficitur.

Attamen quamvis *artes*, atque in iis *numeros*, vel artium *legem* in seipso intueri, primum animo natura detur; illam *legem* supra mentem nostram positam esse nos docet Augustinus: « Haec
« autem *lex* omnium artium, cum sit omnino
« incommutabilis, mens vero humana, cui talem
« *legem* videre concessum est, mutabilitatem
« pati possit erroris, satis apparet supra mentem
« nostram esse *legem*, quae veritas dicitur » (2).

Ubinam sit illa *lex*, aut veritas supra mentem posita, interroganti cuivis sic aperit: « Nec iam
« illud ambigendum est, incommutabilem natu-

(1) De Musica, lib. I, c. v, t. I, col. 1089.
(2) De vera Religione, c. xxx, t. III, col. 147.

« ram, quae supra rationalem animam sit, Deum « esse. Nam haec est illa incommutabilis veritas, « quae *lex* omnium *artium* recte dicitur, et *ars* « Omnipotentis artificis, secundum quam mens « nostra iudicat, et de qua iudicare nullo modo « potest » (1).

Illam vero praeter *legem* quae ingenuas artes iudicandi facultatem praecipue parit, ex Augustino indicare oportet, tanquam illius facultatis elementa, licet inferiora, *exercitationem* sensuum quorum operâ pulchra corpora cognoscimus (2), nec non rerum pulchritudinis *memoriam* : « Ita « reperitur nihil esse aliud *artem* vulgarem, nisi « rerum *expertarum* placitarumque *memoriam*, « usu quodam corporis atque operationis adiunc- « to : quo si careas, iudicare de operibus possis, « quod multo est excellentius, quamvis operari « artificiosa non possis » (3).

Quid ? praeter illam in artibus pulchrum *iudicandi* potestatem, quae ad hanc vim animi quam *rationem* vocamus maxime pertinet, pulchrum etiam *elaborandi* facultatem saltem nominare operae pretium est.

Quae facultas intellegentiam quidem in primis comprehendit, cui tamen adicienda est vis alia, nomine graeco *φαντασία*, id est, vis *imaginandi*.

Cui facultati iam Plotinus ingenuis in artibus partem aliquam tribuerat.

Haec est autem, si fidem Augustino facimus,

(1) De vera Religione, c. XXXI, t. III, col. 147.
(2) Ibidem, c. XXX, col. 146-147.
(3) Ibidem, c. XXX, col. 146-147.

φαντασίας natura, ut ingenuis in artibus vim magnam habeat. Augustinus enim scribit : *phantasiam*, mediis sensibus rerum *imagines* sibi repraesentare (1) ; immo, illas corporum *imagines* in animo pulchriores esse quam ipsas corporeas species (2) ; media *imagines* formandi illa facultate, inesse animo potestatem demendi vel addendi iis quae ipse sensu attingit (3).

Nobis quaedam addenda sunt, ut de ingenuis artibus Augustini doctrinam breviter contrahamus. Nam is *artes* pulchro nobis placere et in iis easdem atque in *pulchro* reperiri notas edocet. Artifex igitur suis in operibus *pulchri* notas imitari debet. Quo fit ut ad *artis* naturam pertineat *imitatio*, non quidem *pura imitatio* rerum, sed *imitatio* quae rerum formam perficiat in melius mutando. Quod artifex efficere potest ea species excogitandi facultate quam Graeci φαντασίαν vocant.

Artificis enim in animo pulchrior est quam in rerum natura pulchritudinis forma. Is, ut quas animo intuetur species propius imitetur, contendit ; sic opera pulchriora quam est rerum natura efficit. Cuius opera graece ποίησις merito vocantur.

Verum *artes ingenuae*, quaecumque sunt, *numeris* fulgere debent. *Numeri* enim pulchrum constituunt : « in his igitur omnibus disciplinis

(1) Epist. classis 1, c. II, n. 3, 4, 5, t. II, col. 69-70.
(2) De Trinitate, lib. IX, t. VIII, col. 969.
(3) Epist. classis 1, epist. 7, c. III, t. II, col. 70.

« (liberalibus) occurrebant ei (rationi) omnia *nu-* « *merosa* » (1).

Ingenuis in artibus numeri manifesti sunt iis notis pulchri saepe laudatis, praesertim unitate et aequalitate, proportione vel convenientia. Sed ex Nostro iis in notis non requiescit animus : assurgit enim ad artium *legem* supremam et aeternam, nempe ad Deum, Unitatem perfectam, ad *numeros* sempiternos qui sunt artificis operum pulchritudinis mensura :

« Si architectum, inquit Augustinus, ita interrogavero : quare tuo in opere proportio sit necessaria ? mihi respondebit ille necessariam esse proportionem, eo quod ea nobis placeat. — Sed unde scis placere proportionem ? — Quia *pulchra* est. — Optime. Sed dic mihi : pulchrane est quia placet, anne placet quia pulchra est ? — Sine dubio placet, quia pulchra est. — Tibi assentior. Sed iterum te interrogo : quare pulchrum sit tuum aedificium ? Si in responso haesitas, eo quod tuae artis antistites non usque eo progrediuntur ; saltem consenties, aequalitate, tuique aedificii partium convenientia, quandam institui unitatem quae rationi placeat. — Recte meam sententiam interpretaris. — Optime. Sed diligenter attende. Non est vera, id est, non perfecta in corporibus unitas, ut quae multis componantur partibus, quarum unaquaeque plurimis etiam particulis coagmentatur. Porro ubinam vides hanc unitatem quae in tui aedificii structura te regit ; hanc unitatem, quam tuum aedi-

(1) De Ordine, lib. II, c. xv, col. 1014, t. I.

ficium, ut pulchrum sit, imitari debet ; quam nihil in terra adsimulare potest, eo quod in terra nec quidquam est quod perfecte unum esse queat?

Quid inde sequitur? nonne agnoscendum est supra nostras mentes esse quandam *Unitatem* perfectam et aeternam, ex qua oriatur omnis pulchritudinis forma, divinosque apud Deum regnare *numeros* sempiternos qui sint *pulchri* principium et mensura? — Agnoscendum est (1). »

Haec verba, nostra sententia, Augustinianam de *ingenuis artibus* doctrinam optime paucis comprehendunt.

(1) De vera Religione, c. xxx, xxxi, xxxii, t. III. — De Ordine, passim. De Musica, lib. VI, passim.

CAPUT V.

QUOMODO PULCHRUM HOMINIS FACULTATES AFFICIAT, EX DOCTRINA AUGUSTINI ?

Quoniam veteres recentioresque philosophi qui de *pulchri* natura disseruerunt, quonam modo facultates humanas afficiat, perpenderunt, nostra etiam interest eandem doctrinam in Augustini operibus requirere.

Verum, ut in ordinem Nostri sententias redigamus, eam platonicam sequemur artem dialecticam quam idem ipse maxime laudavit, quaque usus est. Itaque quonam modo intellegentiam ad divina *pulchrum* extollat ; quam eximiam delectationem afferat, vel quantum amorem in nobis excitet ; tandem quomodo voluntatem hominis moveat, vicissim inquiremus.

ARTICULUS I.

DE PULCHRI EFFECTIBUS IN INTELLEGENTIA HUMANA.

Pulchri, quod in *corporibus* splendet, aspectus pulchritudinis omnis *Principium* nobis patefacit. Is enim aspectus mentem humanam, ut, ex corporibus in quibus aliqua tantummodo et varia

numerorum vestigia reperiuntur, ad *numeros* ascendat immutabiles, admonet :

« Et cum ibi (in corporibus) recognita fuerint « quorumdam vestigia *numerorum*, quaerendum « est ubi sine tumore sint » (1).

Numeri immutabiles et aeterni in Deo et cum Deo *regnant*. Quare Augustinus se quaedam de musica scripsisse confitetur ut nos doceat : « quo- « modo a corporalibus et mutabilibus *numeris* « perveniatur ad immutabiles *numeros ;* et sic « *invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta* « *conspiciantur* » (2).

Itaque mens humana ex *corporei* pulchri aspectu ad Deum usque omnis pulchritudinis principium assurgit. Propterea *doctor Noster* universitatis rerum pulchritudinem comparat magno carmini, in laudem Dei condito, quod in aeternae Dei pulchritudinis contemplationem homines inducit : « Universi saeculi pulchritudo, cuius particulae « sunt quae suis quibusque temporibus aptae « sunt, velut magnum carmen cuiusdam ineffabi- « lis modulatoris excurrit, atque inde transeunt in « aeternam contemplationem speciei, qui Deum « rite colunt, etiam cum tempus est fidei » (3).

Caeli et terrae pulchritudo mentem effert et rapit ad Deum : « Attende caelum, pulchrum est ; « attende terram, pulchra est. Ipse (Deus) fecit, « ipse regit. Si pulchra sunt, quae fecit, quanto « pulchrior est qui fecit » (4) !

(1) De vera Religione, c. XLII, col. 158, t. III.
(2) De Musica, lib. I, p. 133.
(3) Epistola, Marcellino Augustinus, c. I, t. II, col. 527.
(4) Enarratio in psalmum 148, t. IV, col. 1946-1947.

Ceterum eadem est ars dialectica qua utebantur platonici philosophi, cum ex infima pulchritudine usque ad *Pulchrum supremum* attollebantur. Quos Augustinus sic commemorat : « Unde « ingeniosi et docti et in his exercitati homines « facile collegerunt, non esse in eis rebus primam « speciem, ubi mutabilis esse convincitur. Cum « igitur in eorum conspectu et corpus et animus « magis minusque speciosa essent, et si omni « specie carere possent, omnino nulla essent, « viderunt esse aliquid ubi prima esset et incom- « mutabilis, et ideo nec comparabilis : atque ibi « esse rerum principium rectissime crediderunt, « quod factum non esset, et ex quo facta cuncta « essent » (1).

Ut eadem utamur arte, id est, ut ex visibilibus ad invisibilia ascendamus, his nos hortatur: « Videamus quatenus ratio possit progredi a « visibilibus ad invisibilia, et temporalibus ad ae- « terna conscendens. Non enim frustra et inani- « ter intueri oportet pulchritudinem caeli, ordi- « nem siderum, etc., etc. In quorum considera- « tione non vana et peritura curiositas exercenda « est, sed gradus ad immortalia et semper ma- « nentia faciendus » (2).

Aliunde hanc secutus est viam, quam ita describit in opere quod « *Confessiones* » inscribitur : « Rapiebar ad te (Domine,) decore tuo. Eramque « certissimus quod invisibilia tua a constitutione « mundi per ea quae facta sunt, intellecta con-

(1) De Civitate Dei, lib. VIII, c. VI, t. VII, col. 232.
(2) De vera Religione, c. XXIX, t. III, col. 145.

« spiciuntur, sempiterna quoque, virtus et divini-
« tas tua. Quaerens enim unde approbarem pul-
« chritudinem corporum sive caelestium sive ter-
« restrium, et quid mihi praesto esset integre de
« mutabilibus iudicanti, et dicenti : hoc ita esse
« debet, illud non ita. Hoc ergo quaerens unde
« iudicarem, inveneram incommutabilem et ve-
« ram veritatis aeternitatem supra mentem
« meam commutabilem : atque ita gradatim a
« corporibus ad sentientem per corpus animam,
« atque inde ad eius interiorem vim, cui sensus
« corporis exteriora annunciaret,... atque inde
« rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam
« refertur iudicandum quod sumitur a sensibus
« corporis. Quae se quoque in me comperiens
« mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam,
« subtrahens se a contradicentibus turbis phan-
« tasmatum, ut inveniret quo lumine aspergere-
« tur, cum sine ulla dubitatione clamaret, incom-
« mutabile praeferendum esse mutabili : unde
« nosset ipsum incommutabile, quod nisi aliquo
« modo nosset, nullo modo illud mutabili certo
« praeponeret, et perveniret ad id quod est in
« ictu trepidantis aspectus. Tum vero invisibilia
« tua per ea quae facta sunt intellecta conspexi,
« sed aciem figere non valui » (1).

(1) Confess. lib. VII, t. I, cap. 17.

ARTICULUS II.

QUAM EXIMIAM DELECTATIONEM PULCHRUM AFFERAT ? QUANTUM AMOREM IN NOBIS EXCITET ?

Iam quidnam Augustinus docuerit de *voluptate* quam sensibus nostris affert *pulchrum*, exponendum habemus. Sane illius sententia ex differentia quam inter *pulchrum* et *aptum* instituit ipse, educi potest. Docuit enim *aptum* esse quod « *ad aliquid accommodatum deceat* » (1), idque igitur placere propter aliquem finem externum ; *pulchrum* vero : « *quod per seipsum placeat* » (2), atque « *ex seipso* », non aliunde, iucundum esse.

Praeterea cum dicit, res pulchras esse non quia delectent, sed eas delectare quia pulchrae sint (3) ; nonne *suavitatem pulchri* non alio ex fonte quam ipsa e pulchritudine hauriri nobis indicat ? Ex quo sequitur generosam esse *pulchri delectationem*, ut quae oriatur ex fonte nobili.

Cuius *delectationis* si naturam magis perscrutati erimus, nobis videbitur Augustinus aliquo modo adumbrasse notam huiusce aetatis quorundam philosophorum sententiam, secundum quam pulchritudinis *suavitas* expedita facilique nostrarum facultatum *exercitatione* constet.

Audiamus enim Augustinum : « Quid ergo « aliud in luce et coloribus, nisi quod nostris ocu- « lis congruit, appetimus ? Etenim a nimio ful-

(1) Confess. lib. IV, c. xv, col. 703.
(2) Ibidem.
(3) De vera Religione, c. xxxii, t. III, col. 148.

« gore avertimur, et nimis obscura nolumus « cernere, sicut etiam in sonis et a nimium « sonantibus abhorremus, et quasi susurrantia « non amamus. In his ergo cum appetimus *con-* « *venientia* pro naturae nostrae modo, et incon_ « venientia respuimus, quae aliis tamen anima- « libus convenire sentimus, nonne hic etiam « quodam *aequalitatis* iure laetamur, cum occul- « tioribus modis paria paribus tributa esse « cognoscimus » (1)?

Alibi : « Quaere in corporis *voluptate* quid « teneat, nihil aliud invenies quam *convenien-* « *tiam* : nam si resistentia pariant dolorem, *con-* « *venientia* pariunt *voluptatem*. Recognosce igi- « tur quae sit summa *convenientia* » (2).

Ergo *voluptas*, quam in pulchris rebus sentimus, ex earum cum nostra natura *convenientia* oritur. Quae *convenientia* quandam *aequalitatem* inter res ipsas nostrasque facultates necessario requirit. Haec autem *aequalitas* adiumento est facultatibus quarum *exercitatio* eo ipso fit facilis vel expedita, et *suavitatem* affert.

Insuper ea est *voluptas*, quae ex pulchro oritur, ut eam sentire non possimus, quin simul pulchritudinem *amemus*. Etenim cum pulchri *suavitate* pulchritudinis *amor* adeo artissime coniungitur, ut nihil praeter pulchrum nobis liceat *amare* : « Dic, inquit, oro te, num possumus « *amare*, nisi pulchra ? Nam ea neminem amare « manifestum est quorum foeditate sensus offen-

(1) De Musica, lib. VI, c. XIII, t. I, col. 1183-1184.
(2) De vera Religione, c. XXXIX, t. III, col. 154.

« ditur. — Discipulus. Ita est, ut dicis » (1).

Ceterum Augustinus, cum de pulchritudinis *amore* loquitur, platonica etiam utitur dialectica. Etenim, postposito infimae pulchritudinis *amore*, unice ferme superioris pulchritudinis *amorem* commendat : « Sic enim corporis pulchritudo, « a Deo quidem factum, sed temporale, carnale, « infimum bonum, male *amatur* postposito Deo, « aeterno, sempiterno bono » (2).

Et alio loco, ut ex corporum pulchritudinis *amore*, quem *laboriosum* esse fingit, usque ad *amorem* pulchritudinis aeternae suavissimum ascendamus, nos incitat : « Magister. Quid ergo « an facile est, *amare* colores, et voces, et corpora « leniter mollia ? Haeccine *amare* facile est ani- « mae, in quibus nihil nisi aequalitatem ac simi- « litudinem appetit, et paulo diligentius consi- « derans, vix eius extremam umbram vestigium- « que cognoscit ; et Deum *amare* difficile est, « in quo nihil inaequale, nihil sui dissimile, « nihil disclusum locis, nihil variatum tem- « pore suspicatur ?...... Laboriosior est huius « mundi *amor*. Quod enim in illo anima quaerit, « constantiam scilicet aeternitatemque, non inve- « nit : quoniam rerum transitu completur in- « fima pulchritudo, et quod in illa imitatur « constantiam, a summo Deo per animam traici- « tur.... Quamobrem neque in voluptate carnali, « neque in honoribus et laudibus hominum, « neque in eorum exploratione quae forinsecus

(1) De Musica, lib. VI, c. XIII, t. I, col. 1183-1184.
(2) De Civitate Dei, lib. XV, c. XXII, t. VII, col. 467.

« corpus attingunt, nostra gaudia collocemus « habentes intimum Deum, ubi certum est et « incommutabile omne quod *amamus* » (1).

ARTICULUS III.

QUONAM MODO PULCHRUM HOMINIS VOLUNTATEM MOVEAT?

Postquam monstravimus intellegentiam ex pulchri inferioris aspectu ad pulchritudinis perfectae notitiam extolli, et cor humanum ex infimi pulchri studio usque ad divinae pulchritudinis amorem moveri, quid adhuc reliquum est, nisi ut breviter indicemus cum Augustino, quomodo *pulchrum* hominis *voluntatem* ad Deum dirigat?

« Magister. Quid adhuc restat? An ut videa« mus qua actione (anima) purgata atque exone« rata revolet ad quietem et intret in gaudium « Domini sui? — Discipulus. Ita fiat. — M. Ad « hunc igitur finem si omnes illos humanae « actionis motus, *numeros*que referamus, sine « dubitatione mundabimur. An aliud existimas? « — D. Nihil equidem aliud » (2).

Ea est vis *numerorum* ut virum, qui *numeros* pulchris in rebus aut ingenuis in artibus diligenter contemplatur, impellat ut semetipsum avertat a libidinibus et vitiis, suamque vitam ad Deum ordinet. Eundem virum sic ad Deum *numeros*que aeternos bene ordinatum, nec « ulla onera,

(1) De Musica, lib. VI, c. XII, t. I, col. 1186-1187.
(2) Ibidem.

« aut ulla pericula, nec ulla fastidia, neque ulla « blandimenta fortunae » ab suo itinere revocare possunt :

« Cui *numerorum* vim atque potentiam dili-« genter intuenti nimis indignum videbitur et « nimis flendum, per suam scientiam versum « bene currere citharamque concinere, et suam « vitam seque ipsam quae anima est, devium « iter sequi, et dominante sibi libidine, cum tur-« pissimo se vitiorum strepitu dissonare.

« Cum autem se composuerit et ordinaverit, « ac concinnam pulchramque reddiderit, aude-« bit iam Deum videre, atque ipsum fontem unde « manat omne verum, ipsumque Patrem veri-« tatis....

« (Tunc), quando iustum virum movebunt aut « ulla onera, aut ulla pericula, aut ulla fastidia, « aut ulla blandimenta fortunae » (1) ?

Ut vero quasi in unum colligamus quae hactenus de hac re diximus, operae pretium est referre haec verba Augustini, in anima septem numero gradus, quibus in via pulchritudinis gradatim ad Deum accedat, distinguentis :

« Primus actus (gradus) dicitur *animatio ;* se-« cundus, *sensus ;* tertius, *ars ;* quartus, *virtus ;* « quintus, *tranquillitas ;* sextus, *ingressio ;* sep-« timus, *contemplatio* » (2).

Primo gradu (animatione), corpus anima *numerose* animat (3). Secundo, (sensu), *numeros*

(1) De Ordine, lib. II, c. XIX, col. 1018-1019.
(2) De Quantitate animae, c. XXXV, t. I, col. 1079.
(3) Ibidem, c. XXXIII, col. 1073-1074, t. I.

sensibus, visu et auditu, in coloribus et sonis anima sentit atque discernit (1). Tertio, (arte), mens humana attollitur in *numeros* qui fulgent « in opificum artibus : in litteris, in verbis, in « gestu,.... in picturis atque figmentis ; qui « regunt vim ratiocinandi et excogitandi, « fluvios eloquentiae, carminum varietates, « modulandi peritiam, etc., etc. » (2). Quarto, « (virtute), « animae bonitas incipit, atque « omnis vera laudatio » (3). Anima enim virtutis pulchritudine stimulata « sese abstrahere « a sordibus, totamque emaculare ac mundissi« mam reddere et comptissimam », itaque ad Deum sese *numerose* ordinare nititur (4). Quinto, (tranquillitate), « cum fuerit ab omni tabe anima « libera maculisque diluta, tum se denique in « seipsa laetissime tenet, nec omnino aliquid « metuit sibi, aut ulla sua causa quidquam an« gitur » (5). In hoc quinto pulchritudinis gradu *numerosum* est quidquid inest in anima. Sexto, (ingressione), anima « ingenti quadam et incre« dibili fiducia pergit in Deum » (6). Septimo tandem, (contemplatione), anima cum apud Deum pervenerit, *numeros* immutabiles et aeternos, pulchritudinemque ipsam perfectam contemplatur (7).

(1) De Quantitate animae, c. XXXIII, col. 1074, t. I.
(2) Ibidem, col. 1075.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem.
(5) Ibidem, col. 1076.
(6) Ibidem.
(7) Ibidem, col. 1076-1077.

CAPUT VI.

DOCTRINA AUGUSTINIANA DE PULCHRO RECOLLIGITUR ET PERPENDITUR

ARTICULUS I.

DOCTRINAE SUMMA.

Nunc Augustini doctrinam hactenus expositam recolligere atque paucis absolvere opportunum est, quo de ea facilius iudicemus.

In primis Augustinus *pulchrum* ab *apto* distinguit. *Pulchrum* enim « *per se ipsum* » consideratur et laudatur ; *aptum* contra « *ex eo cui connectitur* » iudicatur.

Insuper non idem significant verba *pulchrum* atque *iucundum ; pulchrum* semper est *iucundum*, sed non versa vice.

Etsi *pulchrum* materiae non est contrarium, immo in corporibus eam supponit, tamen ex ea non oritur tanquam e principio.

Numeris pulchritudo constat ; quin pulchri principium est *numerus*, nec, ut pulchrum, aliquid placet, nisi sentias idem esse *numerosum*. *Numerus* vero qui pulchrum constituit et *rhythmum* significat, vis est ea quae rerum ordinem efficit et *lex* est qua res, ut ad suum finem

perveniant, perfecte accrescunt. Sic *numerus* vim non qualemcumque, sed cum *ordine* aut *lege* coniunctam exprimit.

Numerorum *ratio*, licet res pulchrae pereant aut mutentur, stabilis est ; atque intellegentia sola, non sensibus percipitur. Quare non pendet ea *ratio* ex temporum aut locorum intervallis, quae intervalla augeri aut minui possunt. Quemadmodum triangulorum *ratio*, quamquam singula triangula praetereunt, stat perpetua, ita *numerorum ratio* est perennis.

Res quaelibet, quantumvis sit infima, suos *numeros*, quibus generatur et accrescit, habet.

Numerorum, velut rerum, varia sunt genera. Primum numeros « *corporales* », v. g. sonos in musica, a numeris qui naturam regunt humanam distinguit Augustinus. Dein, qui ad locum, qui ad tempus pertinent numeri describuntur. Tum ponuntur numeri « *vitales* », vel qui vitam ordinant. Postea sunt « *intellectuales* beatarum animarum atque sanctarum » numeri, qui legem divinam constituunt, quam usque ad terrena transmittunt. Tandem in summo gradu, in Deo, fulgent numeri sempiterni.

Ita ex sonorum numeris qui in musica audiuntur, ad numeros qui non auribus sed intellegentia sola percipiuntur, et usque ad numeros aeternos et immutabiles, qui, tanquam numerorum inferiorum exemplaria in Deo manent, Augustinus ascendit.

Eos *numeros* ne permiscueris cum iis qui ad mathematica spectant. Etenim, apud Augustinum, *numeri* qui *pulchrum* constituunt, iidem res ipsas

explicant. Ergo numeri sunt rebus superiores; ii etiam ad rerum naturam, ut Pythagorei numeri, pertinent. Numeri tamen Pythagorei, licet cum rerum materia non confundantur, cum ea tamen permixte implicantur. Apud Augustinum magis a materia discernuntur numeri, cum nihil sint nisi *leges* quibus ordinatur materia.

Quae cum ita sint, sequiturne ut pulchra sint omnia? Minime; nam, quaedam sunt quae propter pulchritudinem nobis placeant, et quaedam quae propter deformitatem sint odiosa. Sin res quaelibet consideratur « *in ordine ad universum* », tunc, propter universitatis pulchritudinem, licet ipsa forsitan sit deformis, pulchra dicitur. Quare Augustinus, *quod attinet ad finem universum*, alios aliis minus pulchros esse, penitus vero pulchritudine carere non posse, *numeros* affirmat.

Quonam igitur pacto res efficiuntur pulchrae? Eae pulchrae fiunt, quarum *numeri* ad suum finem rite progrediuntur, id est, secundum propriam legem cum ordine moventur, et quibusdam notis externis significantur. Quae notae, videlicet unitas, varietas, aequalitas vel partium similitudo, convenientia vel proportio, ordoque, tanquam pulchritudinis *forma* haberi possunt. Sed animadvertendum est eas notas ex *numeris* originem sumere, ita ut corporum pulchritudo ex *numeris* primum constet.

Inter eas notas maximi est momenti *unitas*. Quam *unitatem* « *omnis pulchritudinis formam esse* » (1) saepe et firme asseverat. Inde videtur

(1) Epist. XVIII, Augustinus Caelestino, t. II, col. 85.

unitatem in Augustini doctrina, non esse, ut quidam crediderunt, *primum* pulchri *principium*, sed tantum *notam*, praecipuam quidem, quae maxime ad pulchritudinis *formam* pertineat. Quae *unitas* inter diversas partes rei cuiuslibet ordinem constituit, ideoque splendorem affert. Sine *unitate* nec ulla res perfici, immo nec existere potest. Quare omnia ad *unum* tendunt. Etenim nec arbor esse potest nisi *una*, nec animal sine quadam membrorum *unitate* vivere. Sine « *unione* » nec ulla est amicitia, nec ullus amor.

Unitas autem illa quam vindicat Augustinus ne cum Plotiniana *unitate* confundatur. Etenim apud Plotinum, *unitas* qua pulchrum constituitur maxime in partium *privatione* iacet ; apud Augustinum, *unitas* qua pulchrum efficitur, ex partibus ad aliquid *totum* unum efficiendum convenientibus constat. Quid ? ea vis est *unitatis* ad pulchritudinem formandam, ut partes quae in *toto* separatim sumptae non pulchrae videntur, ubi in *toto* considerantur tunc pulchrae haberi possint. Ita in sermone aliquo bene composito syllabae, si singulae spectantur, fortasse non apparent pulchrae, attamen in *toto* sermone consideratae pulchritudinis speciem praebent.

Dein Augustinus, ad pulchrum constituendum in unitate *varietatem* requirit ; quare pedum structuram in versibus describens, *varietatem* ut pulchris suavibusque sonis necessariam commendat.

Nec tantum pulchris in sonis varietatem, sed etiam *aequalitatem* laudat. Quid enim, inquit,

auribus iucundius esse potest, quid pulchrius quam *aequalitas* cum varietate coniuncta !

Noster etiam inter pulchri notas *convenientiam* connumerat. Ea vero *convenientia* videtur idem significare atque *proportio. Convenientia* enim, ut *proportio*, ex unitate et aequalitate atque « *partium congruentia* » constat.

Quae *convenientia* cum aliis notis supra dictis conexa *ordinem* efficit. Igitur Augustinus in numero notarum pulchri *ordinem* ponit. *Ordo* enim, qui « est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio », numeri pulchritudinem absolvit. *Numerus* « ordine copulatur ». Immo ea est vis *ordinis* ad pulchritudinem constituendam, ut, res quaelibet, quantumvis sit foeda cum separatim sumitur, pulchra tamen, ubi *ordo* accedit, appareat.

Quae notae *pulchri formam* constituunt. Igitur ex Augustiniana doctrina omnibus patet, ut res nobis videantur pulchrae *duo* requiri *elementa : unum* quidem, *intimum* pulchri *principium*, quod sub sensus non cadat, solaque intellegentia apprehendatur, videlicet *numerorum rationem ;* et *alterum* sensibus perspicuum, id est, *formam* quae *numerorum vestigia* sensibus aperiat.

Materia igitur in corporibus non est apud Augustinum, ut in Plotini doctrina, pulchritudini opposita ; sed ea pulchrum non constituit ; pulchrum solummodo significat et manifestum facit. Pulchrum enim, vi quadam quae sensibus non apparet, sed intellegentia sola percipitur, nempe numerorum lege vel ratione, maxime constitui-

tur. Inde sequitur verum pulchri principium non esse mutabile ; cognoscitur quidem ab homine, sed mente humana superius est, atque ex illius arbitrio non pendet.

Tum Augustinus supra mentem humanam quaerit stabilem et aeternam Intellegentiam ex qua immutabile principium hauriat pulchritudo. Quae Intellegentia immutabilis et aeterna Deus est in quo sempiterni vigent numeri. Ergo Deus est primum pulchritudinis principium.

Pulchrum vero variis fulget *formis* vel significationibus, quas Augustinus copiose exponit. Etenim modo rerum *universitatis* pulchritudinem describit, modo pulchris de *corporibus* sermonem habet; hic quonam motu numeroso *vita* in arboribus praecipueque in animantibus materiam pulchre moveat, exponit; illic *veritatis* in mente humana et maxime *virtutis* pulchritudinem laudat; denique divinam in *Christo* et in *Deo* pulchritudinem contemplatur.

Iis in variis pulchri significationibus et notis reperiuntur *numeri*. Quod cuique statim apertum erit, dummodo, duce Augustino, diversas pulchri species paulisper inspexerit.

Ac primum quidem, pulchritudo sive terrae et aquae, sive aeris et caeli, unitate, varietate et ordine, uno verbo *numeris* constituitur. Sint quaedam, in rerum universitate quamvis turpia vel deformia, universum tamen pulchrum est. Immo, licet mutentur aut pereant res inferiores, adest tamen aliquod pulchri genus infimum in illa decessione ac successione rerum praetereuntium, cum propter unitatem quae rerum mobilium se-

riem complectitur, tum propter *rhythmum* vel *numerum*, quo rerum quae transeunt et moventur motus ordinantur. Ita, etsi homines moriuntur, pulchrum est genus humanum propter *rhythmum* qui in illa perlonga hominum serie ex interitu et generatione oritur.

In illa rerum universitate locum tenet imum *corporum* pulchritudo. Quae non ad quemlibet sensum; sed tantum ad *visum* et *auditum* pertinere dicitur. Ita non pulchri vocantur odores neque sapores, sed tantum *colores* et *soni*.

Corporum vero formâ maior est « *motus vitalis* » pulchritudo. Qua de causa ? quia *vita* formam ipsam corpoream generat. Quid ? corporum formam vincit pulchritudine « *motus vitalis* » non solummodo quia, ut in arboribus, *vita* formam efficit, sed etiam quia odii vel amoris affectus *vita* parit in animantibus. Etenim animalia, quamvis perfectam habeant formam, si nobis propter affectus sunt odiosa, tunc non possunt videri pulchra. Contra si propter affectus nobis ea placent, etiamsi forma pulchritudine caret, tunc pulchra habentur.

Vita autem *numero* tanquam lege regitur. Quare *numerus*, ut qui vitam regat et formam gignat, sive in plantis, sive in animantibus pulchritudinis est principium. Inde sequitur *animam*, vitae fontem in animalibus, esse corpore pulchriorem.

In animo humano fulget mens ad quam pertinet *veritas*. Mens quidem in animo primam tenet partem. Insuper in animo adest *virtus* cuius pulchritudinem Noster quammaxime extollit. *Virtus*

concordiam, et aequalitatem et unitatem, legemque qua homo ad Deum ordinatur, nempe *numerum,* instituit. Inde oritur eius pulchritudo.

Tum Augustinus in *Christo* pulchritudinem contemplatur. Christus enim religione christiana instauravit omnia ; hic inter Deum et homines *rhythmum* quo homines religantur ad Deum restituit.

Tandem Noster usque ad *Deum* omnis pulchritudinis fontem ascendit. Deus ipse summa est pulchritudo, in quo « *regnant numeri* » immutabiles et aeterni, clarissimeque fulgent omnes pulchri notae, unitas et varietas et aequalitas et ordo. Igitur in variis pulchri formis et notis reperiuntur *numeri* quibus constituitur pulchritudo, ita ut in omnibus suae doctrinae partibus Augustinus sibi constet.

Inter varias pulchritudinis species una est praecipua quae ex intellegentiae operibus oritur, id est, *ingenuae artes.* Artes ingenuae, in primis *numeros*, unitate et varietate et aequalitate et proportione et ordine significare debent. Quare Augustinus illas describit notas primum in pulchra architecti structura, deinde in poesi, in metro vel numerosis pedum mensuris, tum in musicae rhythmis, postea in pulchris saltationis motibus.

Verum ingenuis in artibus duplicem distinguit pulchritudinem : unam, quam vocat corpoream, quae in poesi ex syllabarum mensura constat, et in musica iucunde sonat ; alteram, quam dicit « *intelligibilem* », alterâ firmiorem et stabiliorem, quae « *rationis numeris* » constituitur, et in iisdem « artibus syllabarum aut sonorum significatione

animum delectat. Artes vero non ex solis constant pulchritudinis notis; alioqui, quo pacto ars a pulchro secerneretur? Quare in primis *imitationem* addere aequum est.

Sed imitatio ad artem efficiendam non satis valet; nam aves ipsae, quae sonos imitantur, artem possiderent. Igitur cum imitatione rationem ipsam vel *scientiam* qua non fruuntur animalia, coniungere necessarium est, ut artes ingenuae constituantur.

Ars praecipue in *animo* est insita. Quae animo inhaeret priusquam externis in rebus notatur. Eadem, etsi non exercetur, in animo manet, in quo propter numeros immutabiles vitam quodammodo sempiternam habet.

Nec obstat huic opinioni, quod artem esse in seipso animus non semper percipit : « quod, inquit Augustinus, sive ignoratione, sive oblivione » potest evenire (1).

Ars pulchrior est in animo artificis quam in operibus; quapropter artifex, quamquam suis in operibus rerum naturam imitatur, eam tamen in melius mutando potest perficere. Unde, licet in Augustini operibus vox « *creatio* » non reperiatur, eam tamen ex eius institutis possumus inferre.

Neve mireris si artifex naturam imitando emendare aut meliorem facere potest; adest enim in eius mente lex quaedam quae cum pulchri principio perfecte congruit, et de artibus *iudicandi* facultatem praecipue constituit.

(1) De Immortalitate animae, c. IV, t. I, col. 1024

Quae facultas sensuum *exercitatione* et *memoria* adiuvatur.

Undenam vero oritur illa lex nisi e *natura?* Quae lex scientia vel arte perfectius cognoscitur; immo, quamvis artificis menti inhaereat, eadem, utpote immutabilis et aeterna, supra mentem humanam ponitur ; igitur ex Deo tanquam e primo fonte emanat.

Praeter facultatem de artibus iudicandi Augustinus pulchrum « *elaborandi* » facultatem distinguit, quam vocat « *phantasiam* », id est, vim *imaginandi*, seu vim rerum *imagines* concipiendi easque vel minuendi vel augendi.

Ita ingenuis in artibus, cum numeris qui eas constituunt, tum facultatibus quae easdem elaborant aut de iis iudicant, descriptis, Augustinus ex artibus quae transeunt vel pereunt usque ad artificem supremum, id est, Deum, ascendit.

Tandem pulchri in facultatibus humanis *affectus*, quales Augustinus exposuit, si quasi uno oculorum coniectu intuemur, ad *numeros* tanquam ad cognitionis, delectationis amorisque principium, eos referri videmus.

Praeterea Augustinus artem sequitur dialecticam qua utebantur platonici philosophi. Is enim ex infima pulchritudine usque ad Pulchrum supremum, sive cognitione, sive amore vel voluntate exsurgit.

Ita rerum universitatis pulchritudinem adsimulat magno carmini in gloriam Dei composito, quod in Dei contemplationem mentem humanam rhythmo vel *numeris* extollit.

Insuper *numeri* quorum vestigia in corporibus

splendent, auxiliante materia, iucunditatem sensibus afferunt ; item cum sint cogniti et rationi placeant, affectum sensibili iucunditate superiorem, nempe verum amorem excitant. Quae sensuum et rationis delectatio sumit originem ex convenientia quadam vel proportione, et aequalitate inter res numerosas et facultates humanas : « *similitudo causa est amoris* ».

Demum, haud secus ac Platonis *Ideae*, Augustiniani *numeri* ex pulchro corporeo usque ad summam pulchritudinem, id est, Deum, amorem et voluntatem humanam attollunt.

ARTICULUS II.

PARS CRITICA.

Nunc summatim exposita et quasi in unum collecta Augustini de pulchro ingenuisque artibus doctrina, primum, quid veri, quid manci doctrina habeat, dein quid novi ad placita philosophorum qui ante fuerunt Augustinus adiecerit, superest inquirendum.

Iam nobis liceat Augustini de pulchro doctrinam laudare. In primis Augustinus cum Platone et plerisque philosophis consentiens pulchrum ab utili et iucundo merito seponit, illudque secretis ceteris sensibus, ad visum atque auditum spectare affirmat.

Numeri vero pulchri principium exhibent optimum ; vim enim et vitam significant, non qualescumque, sed numerosas, id est, cum ordine aut lege coniunctas.

Nostro quidem iudicio, non est ullus qui pulchritudinis principium efficacius invenerit. Hodie enim philosophi celeberrimi qui de *Pulchro* scripserunt, paucis tamen exceptis, pulchri naturam vi magna aut vita facili et ordinata maxime constare asserunt.

Revera si perscrutatus eris cur arbor aut animal pulchro splendere tibi videatur, pulchritudinis causam esse vim numerosam aut vitam facilem et ordinatam invenies. Sane quidem vis et vita ad pulchrum maxime spectant. Vis enim in rebus vita carentibus, et vita in animantibus formam generat; quo magis quid vitam possidet, aut etiam imitatur, eo pulchrius id nobis apparet. Opera enim quae artificis manu conficiuntur, quovis in genere, vita quidem non fruuntur, sed vitam imitantur; quo magis vitam simulant, eo reputantur pulchriora.

Augustinus varia numerorum genera merito distinguit, res enim quaelibet numeros habet; igitur cum numeros qui ad sensus vel corpora spectant, tum numeros qui ad mentem pertinent, exponit et describit.

Verum, qualecumque est numerorum genus, numerorum ratio vel lex sub sensus non cadit, sed intellegentia percipitur. Recte quidem: oportet enim pulchrum rationi placeat ut sensus delectet amoremque excitet.

Quae lex stabilis est, licet res pulchrae, in quibus splendent numeri, mutentur. Igitur consentanea est illa doctrina communi philosophorum sententiae quae in pulchro aliquod esse firmum elementum arbitratur.

Ergo valde laudanda est apud Augustinum numerorum ratio. Is quidem numerorum doctrinam ex Pythagorae philosophia deprompsit. Quid ? saeculo tertio post Christum natum Plotinus de numeris iam disseruerat. Augustinus tamen primus illam *numerorum rationem* pulchritudinis *principium* esse docuit. Quare Augustiniana de pulchro doctrina, sane propter eam ipsam numerorum rationem, quandam novitatem affert.

Notae quibus numeri debent splendere ut pulchri sint, unitas videlicet et varietas, aequalitas vel similitudo partium, convenientia vel proportio, ordoque ab Augustino merito requiruntur.

Nam quandocumque rem pulchram intuemur, aedificium, florem, aut hominem, in ea unitatem et varietatem, aequalitatem et proportionem atque ordinem requirimus et admiramur.

In aedificio omnes lapides, ut quid unum conficiatur, disponuntur ; singulae partes variam speciem exhibent. Unitate vero non splenderet id aedificium, si partes, fenestrae videlicet, quae aliae aliis concinne respondere debent, aequalitatem non exhiberent ; si praeterea partes cum toto proportionem vel congruentiam non haberent, puta si in parvo aedificio ingentes portas perforares. Sed ut congruentiam illam vel proportionem architectus obtineat, is omnia ordine componat necesse est.

Quid ? quis non videat in flore inter folia, calycem et thyrsum, in homine inter membra quae ad corpus constituendum conveniunt, ut pul-

chrum quid efficiatur, unitatem et varietatem, aequalitatem et proportionem, atque ordinem requiri ? Quae si desiderantur, iam nulla est pulchritudo. Ubi vero vigent eae notae, ibi necessario reperiuntur *numeri* quibus constat pulchritudo. Quas inter notas Augustinus *unitati* maximam partem, et merito, assignat ; nam res quaelibet, nisi una, non modo perfecta esse sed etiam exsistere potest. Inde hoc notissimum Horatii effatum :

Denique sit quodvis, simplex duntaxat, et *unum* (1).

Fortasse quidem illarum omnium notarum mentio non facta est ab omnibus qui de pulchro scripserunt. Immo Plotinus, qui *pulchritudinem veram esse aliquid simplex et absolute unum* (2) affirmet, negat pulchrum esse in mensura aut varietate, vel proportione.

Eas tamen notas et praecipue unitatem plerique philosophi commendarunt. Inprimis, in hoc quidem consentit Augustinus cum Platone et Aristotele, qui memoratas omnes pulchri notas accipiunt. Adest tamen inter tres illos philosophos hoc discrimen : Aristoteles et Plato, cum de pulchri natura agitur, iis notis praecipuum locum, vi autem aut vitae infimas partes tribuere videntur, dum contra Augustinus eas nihil esse nisi signa vis aut vitae numerosae, vel numerorum quibus constat pulchrum, docet.

(1) Ars Poet. Horat. v. 23.

(2) De Plotinianis libris. Grucker, p. 32-35, et passim. — Ennead. I, lib. VI, c. I, p. 30 et 31. — Ennead. V, lib. IX, c. II, p. 361-362.

Ea vero duo pulchri elementa, nempe vis aut vita numerosa, et vitae signum vel notae, merito sunt a Nostro perspecta.

Etenim signa externa aut corporea, ut color et sonus, pulchri notitiam ex seipsis non generant. Eadem quandam delectationem afferre possunt; et, licet pulchri notionem ipsa non pariant, huic tamen notioni multum conferunt ; nam, si sensus offenditur, si oculus laeditur, aut auris obtunditur, pulchri notitiae repugnat intellegentia. Immo, ut ad pulchri notionem in coloribus et sonis concipiendam mens apta sit, necesse est colores cum varietate et unitate bene disponantur riteque ordinentur ; item soni quodam ordine copulari, motu rhythmico procedere, et concinere debent. Sed ea signa pulchrum ipsum non constituunt : quae, ut pulchra appareant, debent motum, vitam, aut vim numerosam indicare.

Augustinus vero cum varia pulchri genera aut diversas species copiose exponit, ea duo pulchri elementa non disiungit, ita ut in qualibet parte doctrinae sibi consentiat.

Ea omnia a Plotini doctrina absunt. Etenim si Plotino fidem damus, sequitur non veram esse pulchritudinem corpoream, cum pulchro omnino opposita sit materia.

Augustinus vero, quamvis pulchro corporeo multo superiorem esse veritatis aut virtutis pulchritudinem affirmaverit, non tamen pulchro oppositam esse materiam dixit, neque veram esse corporum pulchritudinem negavit.

Adde quod non sibi constat Plotinus, praeser-

tim cum de Pulchro summo loquitur. Nunc enim Plotinus, cum *forma* unice constare pulchrum dicit, hoc ideo ab *Uno* summo, nempe Deo seponit, eo quod *Unum* non *definitum* sit, seu *forma careat*.

Nunc idem sententia mutata, pulchritudinem absolutam formae expertem esse docet ; tunc apud illum pulchrum idem esse atque *Unum* videtur.

Augustinus vero a Deo *formam* non excludit : nam Deum dicit formam esse perfectissimam, pulchritudinisque formam esse *unitatem* : « omnis porro pulchritudinis forma unitas est »; inde sequitur Augustini sententiam nullo modo rationi repugnare. Quin immo sibi consentit Augustinus cum in exemplaribus rerum aeternis et inprimis in Deo numeros sempiternos tanquam pulchritudinis principium contemplatur.

Quare nobis liceat dissentire a quibusdam huius aetatis philosophis qui Deum esse pulchrum negant, divinisque a perfectionibus pulchritudinem seponunt.

— Deus, inquiunt, a pulchro sicut a colore aut a lumine alienus est. In Deo non sunt quae sub sensus cadant elementa ; igitur pulchrum ne dixeris Deum. Quid? Deus pulchrum ignorat.

— Ii tamen philosophi Deum esse cuiuslibet pulchritudinis principium agnoscunt. Nobis vero intellectu difficile videtur, quo pacto Deus perfectissimus, cum pulchri perfectionem non habeat, cumque pulchrum minime cognoscat, cuiuslibet tamen pulchritudinis sit principium.

Sane in Deo nulla est, ne minima quidem ma-

teriae permixtio, sed, ipso supra memoratorum philosophorum concessu, materia non pulchri naturam constituit, illam tantum significat. Ceterum in Deo, qui sit perfectissimus, reperiuntur perfectionum varietas et naturae unitas, notae videlicet quibus fulget numerus aut pulchrum.

Igitur Augustinus qualibet in re pulchra exstare numeros, Deumque esse summam pulchritudinem iure censuit.

Attamen ne in laude veritatis fines praetergrediamur, hic confitendum est pulchri elementa, praesertim in variarum pulchritudinis formarum descriptione, nimis a rebus corporeis fuisse abstracta, nimisque neglecta fuisse pulchra ipsa corpora. Noster enim raro in corporum pulchritudine consistit, sed potius generatim, more philosophorum, pulchri rationem aut principia exponit.

Utinam Augustinus in natura rerum saepius elegisset res corporeas, ut in iis pulchritudinis elementa ostenderet, mare videlicet tranquillum aut aestuosum, stellatum caelum, flores variis pictos coloribus et suavem efflantes odorem, aves per aera volantes aut sub silvis canentes, leonem illum qui rugitus edit in solitudinibus Africae, denique hominem omnium animantium regem, cuius in facie nobilis eminet pulchritudo!

Attamen, ne de doctrina eius severius iudicemus, nos interest non oblivisci Augustinum platonicae nec non pythagoreae doctrinae studiosum discipulum fuisse. Pythagorae autem numeri quos Augustinus, ut praecipuum pulchri principium, admisit, et Platonis *Ideae* vel *formae* quibus pri-

mas partes in disciplina tribuit, maxime ad intellectum spectant, neque sub sensus cadunt.

Ceterum laudandus est Augustinus, quod varia pulchritudinis genera descripsit, et in quolibet genere vera pulchri elementa indicavit. Immo plane in eius sententiam imus, cum super corporum pulchritudinem veritatis et virtutis pulchritudinem attollit, et praecipue cum in summo loco Pulchrum supremum vel divinum contemplatur.

Nunc de *Ingenuis Artibus* sermonem si habeamus, quis iam Augustini doctrinam probandam esse non censeat?

Nonne enim *pulchrum ingenuaeque artes* ita artissime inter se conectuntur, ut, si de *pulchro* aliquis recte scripserit, idem *ingenuis* etiam de *artibus* recte sensisse reputandus sit?

Haec enim videtur esse pulchri corporei artiumque *lex*, ut, quae corpoream pulchritudinem et artes efficiunt, *materiam* dico et *ideam* vel formam, aequabili ratione inter se ponderentur; nam forma vel *idea* ita cum *materia* copulatur, ut oculis illa fulgere possit, non vero materiâ obruatur.

Haec autem mensura vel concordia inter *ideam* et *materiam*, haec recta partium compositio certis undique lineis circumscripta, apud veteres et in primis apud Graecos in architectura et sculptura exsistebat. Etenim, apud illos, ita consociabantur *idea* et *materia* ut perfecte *idea* in *materiam*, et vicissim *materia* in *ideam* undique transiret.

Quam rationem aequabilem inter *materiam* et

ideam, cum Plotinus, quod quidem corpoream pulchritudinem attinet, reiecerit, consequenter eandem esse ingenuis etiam in artibus negavit; quo fit ut eius doctrina potius artibus nocuerit quam profuerit.

Revera Plotinus, qui discipulum artificem hortatur ut sese quam maxime a materia abstrahat, artes depressit.

Quare non mirum est, si postea, nempe media quae dicitur aetate, apud artifices, eandem sentiendi et agendi sive in sculptura sive in pictura rationem invenimus. Tunc enim *idea* et *materia* non moderata ratione, neque aequo iure coniunguntur.

Etenim artifices qui *infinitum* exprimere conabantur, materiam despiciebant eamque in artibus *ideae* longe postponebant. Unde inter animum et naturam, *ideam* et visibiles formas, quodam modo divortium exstitit. Hinc profecto rigidum illud et ieiunum pingendi aut sculpendi genus quod medio aevo usurpabatur.

Longe aliter rem tractavit Augustinus, qui, cum corporeae pulchritudinis legem esse *numerum* vel mensuram numerosam rectamque partium compositionem doceret, nec *materiam*, quasi pulchro materia obstitisset, respueret, eo ipso ingenuis in artibus eandem legem servavit.

Ceterum Noster Platonem et Aristotelem se cutus, illis omnibus notis quibus pulchrum fulget, optimas artes inniti docet. Sic unitatem et varietatem pulchris in artificis operibus, aequalitatem et proportionem recte requirit.

Sed ut ingenuae artes pariantur, aliquid magni momenti, *imitatio* videlicet, ad pulchri elementa adiciendum est.

Quare Augustinus artem *imitatione* praesertim generari recte asseverat, non quidem sola *imitatione*, sed adiunctis *rationis* nec non « *phantasiae* » adminiculis, ita ut per artem ipsa natura in melius mutari possit.

Laudandus hic Noster, quod in artium ingenuarum operibus non satis habuit puram naturae imitationem commendavisse, atque merito artificis operâ, nempe in melius mutatione facta, rerum formas exornandas, ut vera esset creatio artificis opus, docuit. Haec est enim, quae ad ingenuas artes attinet, vera et fecunda doctrina.

Lex ingenuarum artium, ut optime ait Augustinus, non est materia, sed magis mens humana. Nobilior est enim in mente artificis quam in rebus naturae pulchritudinis forma. Quin, si Nostro fidem facimus, artium ingenuarum lex suprema in Deo suum principium habet.

Deest tamen aliquid Augustinianae de ingenuis artibus explicationi, quam retulimus. Augustinus enim, quemadmodum in pulchri natura investiganda, sic in artibus ingenuis definiendis, doctrinam vel principia magis quam res ipsas pulchras aut artificis opera consideravit. Quod ipse sic confitetur : « Neque nunc artem intelligi « volo, quae notatur experiendo, sed quae ratio- « cinando indagatur » (1).

1) De vera Religione, c. xxx, col. 146, t. III.

Revera illa explicatio, ut cuique attente consideranti manifestum est, magis ad mentem seu cogitationem quam ad sensus pertinet, atque « *intelligibiles* » ingenuarum artium numeros potius quam rerum aut operum materiam perscrutatur.

Augustinus artes quae ad oculos pertinent, artes pingendi formas corporeas, silentio praeteriit. Vix architecturam indicavit ; sculpturam picturamque omnino omisit. Eam tamen inopiam ne severius iudicemus, non obliviscendum est amissos esse libros in quibus de « *Pulchro* » nominatim Augustinus disseruerat.

Noster quidem in saltatione rhythmicos motus visibiles, in arte poetica numerum vel rhythmum in syllabis et versibus fuse explanat, sed ut mentem ad numeros invisibiles extollat.

De « *Musica* » sex libros scripsit, sed illi libri ad artem metricam, vel, ipso fatente, ad *rhythmum* referuntur : « conscripsi de *solo rhythmo* sex libros » (1). Sonorum suavitatem vel cantus delectationem neglexit. Augustino quidem de « *melo* » scribendi propositum fuerat, sed defuit otium (2). Illi tamen, quamquam « *melum* » non tractavit, gratia est habenda quod in libris « *De Musica* » *numeros* accurate descripsit. Quare dignus est qui, in societatem eorum qui artem numerorum tenent, adscribatur : « quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum » (3) ?

(1) Epist. 101, Memorio episcopo, t. I, col. 1081-82.
(2) Ibidem.
(3) De Oratore. Cicero, lib. III, cap. 50.

Igitur Noster, cum *numeros* tanti aestimet, consentit cum oratore romano. Artem enim numerorum optime iam intellexerat et magni fecerat in eloquentia praeclarus ille orator : « Quonam igitur modo tantum munus insistemus (1), ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse ? Non est res tam difficilis quam necessaria » (2). Et alibi : « Non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus » (3).

Nunc si, quonam modo apud Augustinum hominis facultates pulchrum afficiat, iudicamus, huic laudes merito sunt tribuendae.

Nam hanc voluptatem quam menti nostrae pulchrum inicit cum delectatione, quae oritur ex utilitate, permisceri non oportet. Etenim « *per se ipsum* » *pulchrum* suave est, dum *utile* delectat propter aliquem finem externum. Pulchrum, separata qualibet utilitate, etiam placet. Igitur honestior est apud Augustinum pulchri suavitas, quam apud philosophos qui *pulchrum* cum *utili* aut cum *iucundo* confuderunt.

Praeterea cum Augustinus scripsit : « num amamus aliquid nisi pulchrum (4) ? » vim magnam in facultates nostras *pulchro* iure et merito imputavit. Amor enim ex pulchritudine statim oritur, et quam maxime actionem humanam impellit.

Ea tamen Augustini verba ultra modum for-

(1) Insistere, id est, *suscipere*.
(2) De Oratore. Cicero, lib. III, c. XLV.
(3) Ibidem, c. 50.
(4) Ex Confess. lib. IV, c. XIII, t. I, col. 701.

tasse progrediuntur. Sunt enim res, quas, licet pulchritudine careant, tamen amamus. Verum, ubi res quaelibet menti nostrae placet aut rationi videtur pulchra, statim, iuxta Augustini sententiam, eam amamus.

Delectationem vero, quam pulchrum affert, atque illum amorem Augustinus a iucunditate, quae corporis sensu gustatur, merito quidem discernit, ita ut, non ex sensuum delectatione, sed potius ex ratione duce, et simul ex amoris affectu de pulchro iudicium pendeat. Quare, ipso fatente Augustino, animalia, etiamsi perfectâ et ideo pulchrâ praedita sint formâ, si propter suos affectus sunt nobis odiosa vel repugnant, non amantur neque etiam possunt nobis videri pulchra. Quae contra, licet eorum forma pulchritudine careat, si tamen propter suos affectus nobis placent, statim amantur, et pulchra habentur.

Optime, nam, iuxta plerosque nostrae aetatis philosophos, quanquam sensuum affectus, ut perfecta sit pulchri delectatio, rationis iudicio cordisque amori consentaneus esse debet, is tamen, quamvis iucundus sit, non sufficit, ut quid nobis pulchrum videatur. Sic suavissimi in tabula male depicta colores non efficiunt pulchrum. Immo quidam philosophi, quantumvis laboriosus sit aut iniucundus sensuum affectus, pulchritudinis tamen delectationem fieri posse, etiam testantur.

Insuper Augustinus, cum pulchri notionem atque delectationem non solum rationis iudicio, sed etiam amoris affectu progigni docuit, prae-

claram adumbravit doctrinam, quam recentiores philosophi celeberrimi et in primis Th. Jouffroy explanaverunt.

Revera, deficiente amoris affectu, neque pulchri notitia neque delectatio evenit. Namque, ut res aliqua nobis placeat, oportet ea re significari aliquid, quod, puta ut vis in lapide, vita in arbore, affectus in animali, aut cogitatio in homine, hunc affectum gallice dictum « sympathie » nostro in corde possit gignere.

Qui affectus nisi ex quadam naturae convenientia et coniunctione oriri non potest, iuxta hoc verbum iam prolatum : « similitudo causa est amoris ». Unde res naturae qualescumque, lapis, arbor, aut animal, pulchrae nobis non videntur nisi propter aliquam cum nostrae viribus vel affectibus naturae similitudinem vel convenientiam. Hinc, propter perfectam naturae similitudinem, cuilibet in rerum natura pulchro hominis pulchritudinem anteponimus.

Igitur Augustinus, cum pulchri delectationem ex rerum cum hominis natura convenientia oriri scribit, cumque inter res pulchras externas et facultates hominis adesse quandam convenientiam vel consensionem dicit, atque in homine natura inesse pulchri sensum ex quo pulchrum placeat, optime sentit. Tunc, magis quam veteres philosophi, pulchri effectus in facultates humanas, et ipsam pulchri naturam fuisse perscrutatus videtur.

Ex quo sequitur Augustini de pulchro doctrinam esse fecundissimam, quae pulchritudinis principium in vi aut vita numerosa ordini nempe

consentanea ponat. Vis enim aut vita in rerum universitate variis et mirabilibus effectibus perpetuo progreditur, hinc infinita et uberrima artium ingenuarum patet materia.

Nobilis est etiam doctrina qua pulchrum sensuum angustiis non circumscribitur, sed ad numeros « *intelligibiles* », vel ad legem numerosam quae rationi placeat, maxime refertur. Unde pulchro quoddam stabile fundamentum assignatur, cum rationis leges stabiles et firmae remaneant.

Augustinus, cum rationis probationem et amoris affectum atque sensuum voluptatem ad pulchri delectationem una, ut ita dicam, conspirare docet, ita, propter sensuum aut affectuum mobilitatem et inconstantiam, quare homines de pulchro diiudicando inter se saepe dissentiant, nobis legentibus aperit.

Dein, cum docet, ut sensibus nostris pulchritudo placeat, necessarium esse corporeum signum varietate et unitate, aequalitate et proportione ornatum, quo pulchrum significetur « *intelligibile* », sequitur doctrinam favere iis ingenuis artibus quae, ut *idea* et *materia* aequo iure coniungantur et inter se quasi ponderentur, postulant.

Insuper ea est Nostri ratio, quae iuxta Platonis dialecticam mentem humanam et amorem ex pulchro infimo ad pulchrum supremum extollit, ut ad intellegentiam excolendam moresque perficiendos quam maxime valeat.

Quid ? Illa Augustini doctrina ex qua quodlibet pulchri genus *numeris* constituitur, nonne huiusce aetatis *scientia* quodammodo comprobatur ?

Notum est enim a viris doctis hodie quamlibet vim naturae ad motum referri. Ita lumen, sonus, calor non sunt nisi motus; inde coloris aut soni pulchritudo nisi motibus rhythmicis, id est, *numeris*, non generatur. Quapropter Augustiniana de *numeris* doctrina, antiquam Pythagorae philosophiam qua res quaelibet *numeris* constat, cum recentiore *scientia* cuius iudicio vires naturae qualescumque sunt *motus* vel *numeri*, felicissime coniungit.

Sine dubio pro tempore quo vivebat Augustinus praeclara est haec laudata doctrina. Quae sane non est absoluta; sed cavendum est ne obliviscamur eam ex variis membris quae in diversis Augustini operibus sparguntur fuisse collectam.

Multum igitur librorum, qui « *De Pulchro* » inscripti perierunt, desiderium nos afficere debet. Videtur tamen doctrina, ex variis Nostri de hac materia sententiis in diversis eius operibus sparsis quasi in unum collectis, satis eminere, ut eam, cum aliorum de eadem materia doctrina philosophorum, commode comparare possimus.

CONCLUSIO

Neque medio quod dicitur aevo neque etiam ipso saeculo decimo septimo ullus invenitur philosophus qui de *Pulchro* saltem nominatim disseruerit (1), ita ut haec materia ab Augustino usque ad saeculum proxime elapsum sit neglecta. Temporibus illis edita sunt quaedam de *Pulchro* opera, in quibus eminet opusculum (2) quod philosophus quidam nomine Andreas, prope medio saeculo decimo octavo, clarissimum *De Pulchro* composuit. Is maxime cum Nostro convenit. Etenim P. Andreas, cum suam exponit doctrinam, Augustinum tanquam magistrum sequitur.

Exeunte vero eodem saeculo, vel potius hoc ineunte, nobis occurrunt qui de *pulchro* praeclare scripserint, philosophi natione Germani, Kant, Schiller, Schelling, Hegel ; quorum doctrina, ex angusta humilique sensuum via digressa, ita saltem aliqua in parte cum doctrina Augustini congruit.

Equidem omnes enumerare philosophos qui de *pulchro* scripserunt non est huius instituti.

(1) Du Vrai, du Beau et du Bien, p. 134. Cousin.

(2) Essai sur le Beau, par le Père Marie André, in-12, imprimé à Paris, 1741.

Hoc enim saeculo non pauci rationem pulchri sunt perscrutati. Inter quos, ne propositum nostrum praetergrediamur, tres tantum praeclaros quidem philosophos, V. Cousin, Th. Jouffroy, C. Lévêque, ut qui ad Augustinianam doctrinam propius accesserint, commemoremus.

Igitur inde a Platonis temporibus ad nostram usque aetatem celeberrimi philosophi *pulchro* studuerunt. Omnium certe de hac re non una fuit sententia. Alii quidem, rerum corporearum angustiis minime excedentes, *pulchrum* nisi in materia nusquam viderunt. Alii vero et numero et ingenio superiores, tam humilem viam transcendentes, *pulchri* principium supra materiam extulerunt, atque posuerunt in vi aut vita cuius exemplar perfectum et aeternum in Deo permanet, humanaque mente tanquam lex *pulchri* suprema percipitur.

Priores cum Nostro nullam affinitatem habent. Posteriores autem, licet de praecipuis pulchri principiis inter se consentiant, quibusdam tamen in partibus plus minusve inter se discrepant. Quorum alii, in pulchri natura, unitati et varietati, proportioni et ordini, id est pulchri *formae* praecipuam partem tribuunt, quin tamen pulchri principium, vim aut vitam, omnino negligant. Alii contra vi aut vitae, ceterum pulchri formâ minime neglecta, primas partes assignant.

Attamen, quanquam de hac materia quibusdam in partibus variae sunt supra memoratorum philosophorum sententiae, affirmandum est eos omnes in multis et praecipuis partibus inter se convenire. Itaque, quemadmodum Leibnitzius *perennem esse*

quandam philosophiam scripsit, nosmetipsi *perennem esse quandam pulchri scientiam* asserimus.

Revera philosophi celeberrimi pulchri *principium* vario nomine appellaverunt. Quod, hic *ideam*, ille *numerum*, alius *unitatem* vitae, alius *legem* aut potentiam ordinatam, vocavit. Ii tamen, quodcumque est nomen usurpatum, pulchri *principium* esse *vim* quandam cum unitate et ordine agentem, eamque forma *numerosa* expressam vulgo intellexerunt.

Hodie, ut antea, remanet inter philosophos eadem de pulchri natura dissensio, simul et idem consensus. Etenim multum abest ut ea scientia sit ad tractandum facilis et expedita. Hac tamen aetate pulchri natura a multis excutitur ; immo tutiorem viam sequuntur recentiores philosophi, quippe qui ab effectibus pulchri in facultatibus hominis proficiscantur, ut posthac ad pulchri naturam cognoscendam certius perveniant.

Cui studio etiam non parum utilis est corporis humani et rerum naturae physica scientia quae magis in dies augetur. Sic edocemur quomodo corporum motus, propter *rhythmum*, nostris in sensibus motus numerosos et expeditos generent, nosque delectent.

Inde confirmatur illa philosophorum doctrina, quae pulchris in rebus harmoniam, aut rhythmum, vel, ut ait Augustinus, *numerum* inesse docet ; quae insuper tenet pulchro gigni in nobis exercitationem expeditam et quietem, atque ex illa inter pulchrum et nostras facultates convenientia oriri pulchri delectationem.

Si nunc velimus paucis contrahere quae de

pulchro in operibus S. Augustini disputavimus, haec nobis videantur enuntianda.

Quae de *pulchro* ante Augustinum scripta fuerunt, ea retulimus, ut in saeculorum decursu doctrinarum coniunctionem expressam faceremus, simul et quasnam ex antiquioribus philosophis notiones Augustinus hausisset, ostenderemus.

Deinde ipsam Augustinianam de *pulchro* rationem exquisivimus, eamque cunctis in partibus exposuimus.

Qua in investigatione, cuivis legenti manifestum est in *pulchri ratione* inter sententias eorum quos commemoravimus, et sancti Augustini doctrinam adesse magnam cognationem.

Numeri, quos iniuriâ neglexerunt qui de Augustini doctrina hactenus scripserunt, *pulchri* naturam novo modo et optimo declarare nobis videntur. Adde quod ea *numerorum* ratio a recentioribus scientiis quae ad *motum* omnes rerum naturae vires reducunt, non multum dissidet.

Itaque inlustratur sancti Augustini de *Pulchro* doctrina, quae, tanquam in catena perpetua anulus aureus, cum Platone et Pythagora huiusce aetatis philosophos, qui de *pulchro* scripserunt, coniungit et conserit.

VIDI AC PERLEGI

D. X. kal. mart. anni MDCCCLXXXIX,

Facultatis Litterarum in Academia Vesontina Decanus,

ED. COLSENET.

TYPIS MANDETUR,

Academiae Vesontinae Rector,

BREDIF.

INDEX RERUM

DE PULCHRO

INGENUISQUE ARTIBUS IUXTA DOCTRINAM E VARIIS SANCTI AUGUSTINI OPERIBUS EXCERPTAM

8

ERRATA

Pag. V ; linea 6 : *Augustinum* pro *Augustinum,*
VIII ; lin. 2 : *ex* — pro *ex*
1 ; lin. 4 : , *Plato, Aristoteles* pro *Plato et Aristoteles*
4 ; lin. 27 : *aeternum,* pro *aeternum*
8 ; lin. 2 : *et praesertim* pro *praesertim*
Ibidem ; not. 1 : έ. ἐ. ἔι. ί. ι. ι. ω. pro ἐ. έ. εἴ. ὶ. ί. ὶ. ὠ — not. 2 : ό. έ.έστι pro ὸ. ἐ. ἐστίν
9 ; lin. 10 : , *atque Plato,* pro *atque Plato* — lin. 30 : ῖ pro ι
10 ; lin. 18 : *sententiam,* pro *sententiam* — lin. 26 : ; pro :
11 ; lin. 1 : *tanquam summo* pro *tanquam ex summo* — lin. 9 : *vel* pro *aut*
13 ; lin. 18 : *eamdem* pro *eandem*
15 ; lin. 6 : *exstitere,* pro *èxstitere*
16 ; lin. 2 : *sententia,* pro *sententia* — lin. 12 : *Immo* pro *Immo,* — lin. 22 : *et tandem* pro *tandem*
17 ; lin. 8 : *constituatur* pro *constituitur* — lin. 27 : ; pro, — lin. 28 : *universitate,* pro *universitate*
28 ; lin. 10 : *nonne* pro *num*
31 ; lin. 9 : *unitatem,* pro *unitatem* — lin. 12 : *unitas* pro *unitas,*
35 ; lin. 28 : *significat,* pro *significat*
36 ; lin. 4 : *sapores* pro *sapores,*
38 ; lin. 16 : *scientiis,* pro *scientiis*
42 ; lin. 21 : *terra,* pro *terra* — lin. 22 : *aere,* pro *aere*
44 ; lin. 17 : *e* pro *E*
45 ; lin. 1 : *pulchritudo* pro *pulchritudo,* — lin. 18 : *obtineant,* pro *obtineant*
46 ; lin. 8 : *et* pro *est* — lin. 19 : *e* pro *E*
52 ; lin. 3 : *pulchritudinem,* pro *pulchritudinem* — lin. 4 : *docet,* pro *docet*
55 ; lin. 10 : *senserit,* pro *senserit* — lin. 18 : , *et Plotinus* pro *Plotinusque*
56 ; lin. 4 : *est,* pro *est* — lin. 29 : *Et primo* pro *Primo*
62 ; lin. 24 : *Verum,* pro *Verum*
63 ; lin. 1 : *philosophi,* pro *philosophi* — lin. 4 : *queant* pro *queunt* — lin. 29 : *Noster,* pro *Noster*
66 ; lin. 24 : *docebat* pro *docet*
67 ; lin. 24 : ι pro ί
68 ; lin. 20 : *intueri,* pro *intueri*
77 ; lin. 7 : *ipse,* pro *ipse*
78 ; lin. 22 : *expedita,* pro *expedita* — lin. 24 : *possimus,* pro *possimus*
80 ; lin. 25 : *vitiis,* pro *vitiis*
86 ; lin. 22 : *considerantur* pro *considerantur,*
88 ; lin. 28 : *quædam,* pro *quædam*
89 ; lin. 33 : *quammaxime* pro *quam maxime*
96 ; vers. *quodvis,* pro *quodvis* — ibid. ; *duntaxat,* pro *duntaxat*
98 ; lin. 6 : *idem* pro *idem,*
99 ; lin. 29 : *nos* pro *nostra*
101 ; lin. 29 : *se* pro *se-*
103 ; lin. 27 : *qui,* pro *qui* — lin. 28 : *tenent,* pro *tenent*
104 ; lin. 11 : *si,* pro *si* — lin. 12 : *afficiat,* pro *afficiat*
105 ; lin. 20 : *Optime,* pro *Optime* : — lin. 29 : *posse,* pro *posse*
110 ; lin. 26 : *neglıgant* pro *neglegant*
113 ; lin. 9 : *Plato, Aristoteles* pro *Plato et Aristoteles*